

BIBLIOTEKA

Zakł. Nar. im. Ossolińskich

4513

Podest.

Quod mel in ore gerit et in cerebro pungit.

Suis amicitia nolo mihi esse sociam.

Quia de bonum facio, et in corde malum medor.

Oscula quae iudicat, deo dedit, hinc tu mihi dabo.


Judices et Magistros cogitatis in omnibus
partibus suis, quos omnes sicut ledunt, hinc per
singulas partes suas, et iudicant populum in
iudicio, nec in altera parte adhibent. Non acci-
piunt personam, nec munera, quia munera excedat
oculos sapientium, et mutant verba iustorum. Iuxta
quod iuxta est persecutus et iudicatus, Deuter. 16.


Juxta est dies perditionis, et adesse finem
tempora. Nos homines inquit delubunt fines
seculorum.

Kezette


XIIII 29

1834.





Pro omnia in presentia
1672



Schola
I E S V
C H R I S T I
Meditationum
mentalium.
D A B R O V I Æ.

15.113

8053

EGO VALENTINVS
Fontanus Philosophiæ ac Medicinæ
Doct̃or, Almæ Vniuersitatis Cracoui.
Rect̃or, dedi hunc librum, duobus
Theologis relegendum, nil nisi deuotissimum & piissimum in eo inuentū.



8053
800-4513-II

Ad Serenissimum
&
Potentissimum
REGEM NO-
STRVM.

Offero Tibi Serenif-
sime & pientissime
Rex, Domine, D. clemen-
tissime, fructum medita-
tionis mentalis Scholæ
IESV Christi, tanquam
Christianissimo Principi
nostro: cuius pietas toti

PRÆFATIO.

Christianitati bene per-
specta ad id me impulit.
Hæc enim & similia pie-
tatis opuscula cui citiùs
quàm Regali Maieftati
offerenda sunt? Aurum
enim, Thus, & Myrrha,
Regalia dona, Regales
manus, Regalem Maie-
ftatem decent. Vnde Ma-
ieftati Vestræ fidelis sub-
ditus semper intimus, my-
stica hæc munera offero:
Aurum, quòd meditatio-
nibus ignitum accēditur
charitatis ardore: Thus

& Myr-

PRÆFATIO.

& Mirrha, vt sancta meditatione Regi Regum, Domino Dominantium recte mori studeamus.

Accipe igitur pientissime & Potentissime Rex à me subdito id animo grato, quod Maiestati Vestræ perpetuæ vtilitati conducere potest.

Sacræ Sereniss: M. V.

Subditus fidelissimus

Nico: Spytek Ligeza de
Bobrek: Castell: Sandomirien: Capit: Biecen.

PRÆFATIO

Ad Lectorem.

Precatio siue Oratio ad Deum omnipotentem, ex unico corde, & ad unicam metam & finem perueniēs & intendens, est duplex: Vna meditatio mentalis, Altera vocalis. Et quoniam utraque ex vno instinctu profluunt, multum ad salutem animæ producūt. Prima quidem oratio mentalis præcipua, & primum locum ideò obtinet, & multò necessaria est, nam totum hominem videlicet, sensus & memoriam sub intellectum subijcit, & faciliores afficit vno, & sincero corde, vna mente, & affectu, vno eodemq; amore, sine quavis interruptione ad vnā eandemq; metam, de qua contemplationē mente attrahit igneo, & ardenti amore in Deum exardescens, & iterum liquescens cum quadam mirabili ex af-

flari

Ad Lectorem.

flatu diuino suauissima voluptate in corde, & anima sentiens, & lachrymas in abundantia ex cordiali affectu effundens. Quae quidem inspiratio, quia diu durare non potest in enarrabilem suauitatem, tum temporis ex ardente cordialis amore erga Deum sentiet. O quam diutius sibi sentire eam dulcedinem amoris erga Iesum suum cuperet, si fieri posset: nil enim in corde, & anima dulcius persentire posset, quam in tali exercitio commorari, & mente cordeq; intimo suo Deum alloqui, & meditari. Ad perpetuam ergo laudem, & gloriam domini mei, ad sempiternam gloriam aeternam indiuidueq; Sanctae Trinitati, & Beatissimae, gloriosissimaeq; Virginis Matris Mariae Patronae, & in laudem omnium Sanctorum, & Patronorum meorum, & ad emendationem omnium fidelium deuote, & iuxta diuinae legis praecepta viuere incipientium breuissimam methodum meditandi, &

orandi

Præfatio ad Lectorem.

orandi paucis folijs hisce tradere in lucem proposui, ut si aliquando in vita mea indigna occasione & ansam malorum dedi, eo amore erga proximos, ad emendandam vitam illorum resarcire possim. Datum Dabrowia, die quindecima Mensis Nouembris, Anno Domini. 1618.

Septem
CONSIDERATIONES,
sive Exhortationes,
ad peccatores conuertendos, nouissimaq; consideranda, valde
efficaces, in septem dies
repartitæ.

Et primùm pro Dominica.

EXHORTATIO AD CON-
temptum mundanorum, desiderium
æternorum, & de stultitia pecca-
torum.

CVM DEVS BENEDICTVS
& sublimis sit ipsa bonitatis
essentia, bonitas pura, perfecta &
infinita, vniuersis ac singulis infi-
nitè melior, incomparabiliter a-
mabilior, incōprehensibiliter de-
siderabilior; extremæ certè est in-
sipientiæ, iniustitiæ ac peruersita-
tis, carnalia ista & caduca, vana

Septem Considerationes

ac transitoria ei præferre, his magis quàm illis inhærere, istis affici magis quàm illi: magnæ stoliditatis haberetur, qui auro obrizo præferret densissimum lutum; & verò obiectum appetitus est bonum, ita vt eo magis res vnaquæque appetatur, quantum plus habet de bonitate; cur ergo tantæ peruersitatis noster est appetitus, vt amplius moueatur bonitate creaturæ quàm Creatoris, cum increatæ bonitatis respectu nullius prorsus momēti sit omnis creata bonitas? Heu, cur magis nos mouet ad sui amorem tenuissimus riuulus, quàm plenitudinis fons immensæ? & quomodo tantæ obtenebrationis ac stoliditatis intellectus noster est, vt propositis sibi ad eligendum, bono increato & creato, bono incommutabili & caduco bono summo ac infinito,

& bono

1. pro die Dominico.

& bono infimo & finito; potius bonum hoc infimum eligat, se ab illo summè amabili auertens, atq; ad istud vile & nullius amabilitatis se conuertens? O quæ puerilitas & stultitia peccatoris, qui tam malam electionem facit?

Deus ipse omnipotens & æternus, gloriosus & adorandus, talis est, cui omnis perfectio & beatitudo absq; mensura & fine competit; in quo est, imò qui est virtus omnipotens, bonitas summa, sapientia æterna, pulchritudo delectans, immensa dulcedo, cuius gloriæ Maiestatis, opulentia atq; munificentia nullus est terminus neque finis: quid ergo est, quod mentem nostram ab ipso auertimus, quod vana ac vilia ei præponimus, quod immunda & turpia præ ipso amplectimur, quod in carnalibus atque illicitis potius

Septem Considerationes

quam in ipso delectamur, affici-
mur, quietamur? nōne infinita est
hæc nostra stultitia atq; nequitia?

Recollige te parumper, o ani-
ma, & attentè considera, quoniã
Deus ipse est qui fecit nos, ipse no-
ster est gratiofus creator, perpe-
tuus conseruator, liberalissimus
prouisor, ac beatificus finis noster
sine cuius sustentatione & gratia,
nec ad momētum subsistere pos-
semus; ipse fons est indeficiens, à
quo omne bonum profluxit, à
quo quidquid sumus atque habe-
mus, accepimus: quæ ergo est
hæc ingratitude, improbitas, im-
pudētia ac vitiositas nostra, quod
hunc talem ac tantum benefacto-
rem non verè amamus, non vene-
ramur, non veremur, neq; cura-
mus? quippe qui eius præcepta
tam irrefrænate transgredimur,
qui eius vultum omnia vigilantif-

1. pro die Dominico.

mè intuentem non reueremur, ipsoque prohibente ac inspiciente in maximam suæ Maiestatis iniuriam, mala infinita & nefanda operari non desistimus, non erubescimus?

Ipse denique Deus infinitæ bonitatis, ad claram sui visionē dulcissimamque possessionem nos & vocauit & condidit, tam immensam nobis præparauit gloriam, tanta media ad finis huius adeptionē conuenientia nobis præstitit; nostram naturam assumere, & pro nobis omnibus mori dignatus est, proprio suo nos corpore & sanguine paut; & nihilominus adhuc in nostra permanemus duritia; nec obstante, quod toties tamque enormiter peccantibus nobis ipse semper indulsit, clementer pepercit, ultionemq; distulit, tamen adhuc indefinenter pec

Septem Considerationes.

catis peccata adiicimus, non pen-
santes quòd innumerabiles iam
deglutiuit infernus, qui minus ac
rarius peccauerunt quam nos; &
cùm tam suavis & fidelis Deus no-
bis sit amicus, quippe qui pro no-
bis animam suam posuit, & deli-
tias suas semper in nobis constitu-
ere desiderat; nos tamen eo spre-
to & relicto, ad crudelissimum ac
fallacissimum nostrum inimicum
diabolum transfugimus, qui ni-
hil aliud cogitat, molitur, & ten-
tat, quam vt à Deo nos separet, &
secum in æternam damnationem
incorporet ac prosternat?

Filii hominum, vsquequo gra-
ui corde? vt quid diligitis vanita-
tem, & quæritis mendacium? quid
dormitamus, quid corda nostra
obduramus, non attendentes quæ
futura sunt & æterna? vsquequo
Christo sumus rebelles, & dæmo-

nibus

1. pro die Dominico.

nibus obtemperantes? & cum per
fidem sciamus & credamus pro
vna culpa mortali non expiata
æternam pœnam infligi, præsen-
temq; vitam & omnem ipsius de-
lectationem respectu vitæ futuræ,
ac damnationis perpetuæ, mo-
mentanea omnino esse; moxque
post huius incertissimæ atque bre-
uissimæ vitæ cursum ad diuinum
nos esse tribunal præsentandos,
vbi tam strictè accusabimur, &
pro æternitate nobis sententia
proferetur; quæ cæcitas nostra
est, & quæ dementia, vt præsen-
tis solis intenti, tam secure Deū
iudicem nostrum offendere au-
deamus, & pro vili ac momenta-
nea delectatione, periculis æter-
næ damnationis nosmetipsos ex-
ponere non formidemus?

Quid istud temeritatis, quid in-
sanitæ est? vbi timor Dei, vbi mor-

Septem Considerationes.

tis memoria, vbi gehennæ metus, vbi terribilis iudicii expectatio? vætibi, ò superbe, vætibi luxuriose, vætibi auare; mors est in olla, mors in tuis honorib⁹, mors in tuis delitiis, mors in tuis diuitiis: tu te felicem reputas, quando honoratus incedis, voluptuosè viuis, & omnia tibi in hoc mundo ad votum succedunt; & inde exultat & inflatur cor tuum, Deum obliuisceris, & proximum contemnis; at veniet quandoque tempus, nisi in tempore resipueris, quando oculos tibi pœna aperiet, & etiam hæc quæ nunc sectaris & æstimas, vana & æternæ tibi damnationis occasionem fuisse cognosces, felicioresq; iudicabis quibus fodere, mendicare, & austera quæque in hoc mūdo pati contigit, quàm eos qui bonis in hac vita & delectabilibus intempestiue frui, & ad

fatic-

1. pro die Dominico.

tietatem sese explere voluerunt.

O peccator, contemne tandem
vana omnia & delectabilia huius
mundi, de quibus tam stricta ante
Deum reddenda est ratio; sis sol-
licitus quam pro eis rationem da-
turus es; funde gemitus pro pec-
catis perpetratis, & incipe dignos
agere penitentiae fructus, dum
adhuc tempus tibi conceditur;
alioquin noueris iudiciū Dei cer-
uici tuae terribile imminere, & de-
licias istas, quas nunc tanti facis,
in lamenta & tormenta aeterna cō-
mutandas; o insipiens, quam tibi
deliciae, vanitates & diuitiae huius
mundi placere debent, & sapere,
pro quibus tam strictate obligas
rationi, tam graue incurris iudi-
cium, tam intolerabile aeternumq;
tibi mercaris supplicium? parcite
peccatores, parcite animabus ve-
stris, parcite sanguini qui pro vo-

Septem Considerationes.

bis effusus est, p̄nitentiam agite, caueate periculum, ignem timete æternum, fugite de medio Babylonis, saluate animas vestras, & ad Deum cōfugite, qui quos creauit, venientes ad se nunquam despicit.

Nonne ex corpore constamus & anima? corpore autē isto spurcissimo, fædo, vilissimo, anima nostra incomparabiliter dignior est: cur igitur sola quæ carnis sunt quærimus, carnales nempe delicias, temporales diuitias, humanos honores, externas in iocis, ludis, risibus ac conuersationibus consolationes, mollia strata, cibaria delicata, pocula lauta, pretiosas curiosasq; vestes; animam verò fame perire sinimus, eamque virtutibus nudam & vitiis plenam relinquimus, & deformitatem eius non curamus, non exhorresci-

mus?

mus? cum tamentam pulchram creauerit eam Deus, & in pristinam eam splendorem, quantumuis deformem & squalentem semper reducere desideret?

Pensemus sapienter quanta sit dignitas, pulchritudo, nobilitas, opulentia ac libertas interior rationalis creaturæ, quæ Deum creatorem suum feruenter diligit, quæ vitiiis ac dæmonibus præualet, virtutibus donisq; adornatur, & in charismatibus Spiritus S. quotidie proficit; è contra, quanta sit vilitas, ignobilitas, turpitudine, paupertas & seruitus interior hominis, qui Deo inobediens est, Dæmonibus autem subiectus ac seruiens; qui tanquam equus & mulus concupiscentiis suis sine vlllo metu aut pudore laxat habenas, & mortalibus vitiiis quotidie inquinatur; certè talis indignus est

Septem Considerationes.

pane quo vescitur, terra quam calcat, aere quam respirat: quoniam omni cadauere turpior, omni bruto vilior, & omni stercore coram Deo consistit foetidior.

His benè consideratis, exurge peccator, relinque lutum concupiscentiæ tuæ, desere sordes in quibus hætenus putruisti, & asurge ad Deum factorem tuum, qui te semper inuitat & trahit; asurge ad cœlestia & spiritualia præteritis omnibus istis carnalibus & terrenis, quæ te totum infecerunt, & à Deo auerterunt; inardescere totus in Deum, dum eius charitatem & dulcedinem in teipso consideras & attendis; sicque eius dilectio crescat & inualescat in te, ut eius respectu cætera paruipendas, vniuersaque carnalia & caduca ut stercore arbitreris; amplectere omnia, vel eti-

1. pro die Dominico.

am austeram, quæ Deo grata sunt,
& salutis tuæ fructuosa; prospera
mundi suspecta semper tibi sint,
omne tempus fructuosè expende
quotidie recolligens & examinâs
te ipsum; Christi Passio à tua nun-
quam labatur memoria, in omni
præcipuè tentatione & tribulati-
one ad eam confuge, quoniam in
ea tanquam in fonte vitæ, igni
carnis stimuli extinguentur, cõ-
cupiscentiæ refrænabuntur, mo-
tus vitiorum omnium reprimen-
tur, & virtus ad benè operan-
dum ministrabitur: conquiescet
denique in Deo anima tua, & cæ-
terorum tandem omnium obli-
ta obdormiet in dilecto, qui
est Deus benedictus in
secula,

A M E N.

Septem Considerationes.

*DE MORTE ET FORMI-
DANDO DEI IUDICIO.*

Consideratio pro Feria II.

ARTICVLVS I. DE MORTE.

SANCTUS ille Abbas ELIAS, tria summopere & merito timere se dicebat; egressionem nempe animæ suæ à corpore, præsentationem eius coram iudice, & prolationem suæ sententiæ; ò qui tria hæc frequenter memoria recoleret, putasne Deum mortaliter vquam offendere posset?

O homo, ne obliuiscaris finis tui, quoniam statutum est hominibus semel mori, memento quia puluis es, & in puluerem reuertaris; mors quidem certissima est, at tempus eius incertum nobis Deus esse voluit, vt semper vigilantes, parati inueniamur veniente sponso, & improviso eius aduentu non opprimamur.

O quam

2. pro Feria II.

O quàm amara est mortis memoria homini pacem habenti in substantiis suis, homini qui delectabilibus mundi huius semper intentus, nunquam ad ea quæ futura sunt & æterna animum applicare voluit?

O peccatores & mundani, qui mortis memoriam tam procul repellitis à vobis, & solis mundi huius negotiis tractandis, solis opibus accumulandis, dignitatibus procurandis, carnisque voluptatibus sectandis estis intenti, quasi ad plurimos annos essetis in hoc mundo victuri, ecce in tempore quo vos magis securos esse putatis, quo delitiis omnigenis explere vosmetipfos cogitatis, improvise vobis mors irruit, & filo vitæ rescisso vestras omnes spes & machinationes irritas reddit; quicquid tanto labore, tam multis an-

nis

Septem Considerationes.

nis coaceruastis, ecce vna vobis
nunc surripit hora, & quæ para-
stis, cuius erunt?

Aperi tandem oculos, homo
miser, & considerans, quod vita
nostra continua est ad mortem
profectio, tum & quod mortis ho-
ra simul est hora nostri iudicii,
qua omnem in æternitatem, vel
beatitudinis, vel miserię, nobis
sententia proferetur, noli tui &
mortis semper obliuisci, neque iã
in peccatis audeas amplius persi-
stere, ne fortè iudicem ad maio-
rem contra te indignationē pro-
uoces, & imparatum tanto tui cū
detrimento mors ex hoc mundo
te rapiat.

O homines vani, ò amatores
sæculi, qui dominari in mundo tã
anxiè desideratis, qui de viribus
& potentia tantoperè gloriamini,
qui diuitias vndique coaceruatis

& non

& non est finis acquisitionis vestræ; qui carnis voluptatibus nunquam satiamini, qui tam splendide vestimini, tam laute comeditis, & bibitis, qui tam infeliciter tempus vestrum in ludis iocis & vanis conuersationibus expenditis, attendite vobis, & quod vobis mox eueniet, paulisper considerate, ecce deficiunt in vanitate dies vestri, mors autem cum festinatione properat ad vos, quæ deliciis vniuersis finem imponet; & tormentis æternis, nisi pœnitentiam in tempore feceritis, principium dabit.

Dives ille epulo vitam aliâs similem vestræ duxit in hoc mundo; at in inferno sepultus est, vbi vnicam aquæ guttulam à tot iam sæculis postulat, & in æternum ei non concedetur; idē vos exitus, eadem vos pœna & sententia ma-

Septem Considerationes.

net, nisi resipueritis, & tempus visitationis vestræ agnoueritis.

O quam miser, quam pauper & nudus egreditur homo ex hoc mundo, cuius ambitione & voluptati satiandæ vix vniuersus, dū viueret, sufficiebat mundus? o quam citò e memoria dilabitur hominum, qui tam honoratus, tam prædicatus vixerat olim in sæculo? & quam subito dereliquitur ab omnibus foetens & deforme cadaver eius, qui tam speciosus, tam ornatus, tam magnificè comitatus inceserat in hoc mundo?

O quis cogitare satis & satis nūc valeat anxietatem animæ migratis à corpore; dum & separari a socio sibi tam charo cogitur, & vitam in peccatis transactam attendens egredi metuit, dum iter ignotum sibi conficiendum apprehē-

dit, & belluas feroces ad deuorandum se paratas attendit; dum ante conspectum iusti iudicis ad rationē reddendam deduci se cognoscit, & nihil in se inuenit, quod iratum sibi iudicem ad misericordiam inflectere possit.

ARTICVLVS II.

De Iudicio.

O Anima anxiosa & tremebunda, iam ante tribunal æterni Dei & iudicis est comparendum; ibi instabunt te sibi pro demeritis tuis adiudicari Dæmones formidandi, te constanter accusabunt, & nedum turpia tua facta, sed & cogitationes omnes & verba in medium adducent. Accusabit & te propria, mille testes, conscientia tua; confundet te Crux & Passio Christi, à qua remedium & salutem, cum posses, non quæsiuisti: condemnabunt te & reliqua

Septem Considerationes.

beneficia Christi, quibus dum vi-
ueres abusa es, & ingrata nimi-
extitisti: ò quam ex improviso tibi
tunc irruent peccata, quæ nunc
tu ignoras, aut vix esse peccata
existimas?

O misera anima, quid in hoc
momento facies, cum omnes te
accusabunt, & nullus excusabit?
ò qua anxietate premeris, dū ad
pedes iudicis nudam & ream te
conspicies, & sententiã pro omni
æternitate proferendam cum ta-
ingenti consternatione præstola-
beris? ò si Mariam, ò si Sanctos a-
liquos viuens in terris tibi concili-
altes & amicos reddidisses, vt in
hoc tam pauendo discrimine ver-
bum pro te loquerentur ad iudi-
cem? miseram te nimis & infelicẽ,
si omni cœlestium amicorum de-
stituta auxilio, tam tremendam
& immutabilem debebis excipe-
re senten-

2. pro Feria II.

re sententiam; si enim iustus in ille
hora vix & cum difficultate sal-
uatur, quid erit de peccatore?

O quomodo quodlibet ibi os
obturatur, quomodo ibi obmu-
tescit sapientia hominum, quam
anxia ibi suam exspectans senten-
tiam consistit animala; quanta ibi
adstant auiditate leones illi infer-
nales rugientes ad escam, si forte
illis adiudicatur anima deuoran-
da, & quanta tunc ferocitate, qua-
ta cum exultatione & irrisione
pertrahunt illam secum ad tormenta?

O quomodo securus vnquam
ridet & quiescit in hoc mundo,
cui hoc iter pro certo conficien-
dum, & hoc tam pauendum di-
scrimen est subeundum? insani-
mos & infelices, si poenitentiam in
tempore opportuno non agimus,
si faciem iudicis lachrymis & bo-
nis operibus non praueuimus, t

Septem Considerationes.

Virginem Mariam & Sanctos nobis non conciliamus, vt in hora illa tremenda nobis subueniant, & misericordiam à iudice nobis impètrēt.

Statutum est enim omnibus hominibus mori, & post hoc iudicium: vbi autem ceciderit lignū, ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit: fit nempe mox post excessum ē vita particulare iudiciū, vbi pro meritis aut demeritis sua animæ determinatur in omnem æternitatem sententia; quæ in vniuersali iudicio in conspectu omnium Angelorum & Sanctorum electorum ac proborum, ratificabitur; & tunc gloria electis, pœna autem & cōfusio reprobis duplicabitur, cum scilicet ad tubam Angelicā omnes cū suis corporibus resurgent, & factorum suorum rationem

2. pro Feria II.

nem reddituri omnes ante con-
spectum diuinæ Maiestatis com-
parere debebunt?

O dies formidanda, dies magna
& amara valde, cum tuba intona-
bit Angelica, surgite mortui, ve-
nite ad iudicium; cum Dominus
in nouissimo die ad iudicandum
omnes fines terræ in Maiestate sua
manifestè adueniet, & reddetur
vnicuique secundum opera sua?

Ibi occulta omnia reuelabun-
tur, ibi de malis omnibus perpe-
tratis rationem reddituri sunt re-
probi, accusantibus eos omnibus
creaturis, circumstantibus Ange-
lis, & Dæmonibus auidè ad reci-
piendum secum in ignem damna-
tos, expectantibus; ibi iusti inui-
tabuntur ad gloriam, cum dulcis-
sima illa voce, venite benedicti
Patris mei, possidete regnum vo-
bis paratum à constitutione mū-
di; reprobi

Septem Considerationes.

di; reprobis autem cum ululatu & consternatione inexplicabili formidandam illam excipient sententiam, ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius; à qua sententia nullus appellare, & contra quã nullus se defendere poterit; ò quomodo tunc vana esse cognoscuntur omnia quæ præterierunt pulchra & delectabilia huius mundi, quàm cæcos & amentes se fuisse tardè tunc cognoscent insani mundi huius amatores; & quàm misera sunt & stulta carnis & sæculi gaudia, post quæ sequuntur æterna lamenta? ò quomodo tunc sine fructu plorabunt omnes tribus terræ, & quantum eis proficeret vel vnica nunc ex corde emissa pro peccatis lachrymula, vt illi ingentem tunc & æternum euaderent gemitum?

O vtinam

2. pro Feria II.

O vtinam mortales ista pensarent, & de districto Dei iudicio cū tremore & gemitu frequenter in hac vita cogitarent? o si tremendum hoc iudiciū nobis à mente nunquam excideret, & ante mortis horam diemque iudicii verè contriti Deum per pœnitentiā & opera bona placaremus, veniā peccatorū humiliter exorantes; ne fortè de hoc mundo subito & ex improviso rapti; cum impiis perpetuò lugeamus & dānemur.

O homo in re tanti momenti, quę omnem æternitatem importat ne dormites, ne differas, ne torpeas, sed attende diligenter & continuo vigila, quia Dies Domini sicut in nocte veniet, & infeliciter nimis tecum agetur, si te mors imparatū inuenit & opprimit, si debitis oneratus ad tribunal iudicis pertraheris, si oleo lampas tua va-

D

cua in

Septem Considerationes.

cua in aduentu sponsi & Regis æterni deprehenditur, si malè facta bonis operibus non compensasti; plora nunc, vigila, & quodcunque potes bonum instanter operare, vt antethronum iudicis misericordiam inuenias, & cum electis omnibus in gloriam & requiem merearis introduci sempiternam. Amen.

*DE POENIS INFERNI
& damnatorum, necnon & de insipientia mundanorum.*

Consideratio pro Feria III.

Gens absque consilio est & sine prudentia; vtinam saperent & intelligerent, & nouissima prouiderent: ò quàm stultum est & iniquum pro momentanea hac vita in delitiis transigenda, æternas velle miseras incurrere, præsentisque vitæ prosperitatē magis quam futuræ felicitatem æter-

nam

nam quærere & optare? ô quàm permulti hoc faciunt, qui more pecudum in hoc mundo conuertantur, ita terrenis intenti diuitiis, carnisq; delitiis & transitoriis honoribus, quasi non sit vita alia post præsentem: ô quantum condolendum est hominibus istis mundanis, excæcatis ac miseris, qui sine vllō timore perpetrant mala, imò & gloriantur cum malè fecerint, rebusq; in pessimis exultât, & clausis oculis præcípites occurrunt ad infernos?

O peccator, si tu attenderes & cognosceres quanta angustia & pressura, quâta desolatio & amarissima desolatio penes damnatos in omni æternitate sit, & quàm inæstimabiliter nûc sulphurei ignis ardore, nunc frigore affliguntur intolerabili, sed magis ex sua desperatione cruciantur in mente,

Septem Considerationes.

dum & vermis eos conscientia in-
extinguibus corrodit, & certi sūt
quod in tot & tantis tormentis si-
ne omni spe venia æternaliter te-
nebuntur; si hæc inquam cogno-
uisses, quam non libenter & prò-
ptè pœnitentiam agere velles in
hoc mundo, vt hæc in futuro pos-
ses euadere supplicia?

Considera, quam intolerabile ti-
bi esset, vna die, imò vel vna hora
corpore nudo in medio ardentis-
simi clibani iacere; quomodo er-
go ardorem ignis infernalis in per-
petuas eternitates sustinere tu po-
teris? quomodo tu, cui vno anno
vel in molli & delicato lectulo ia-
cere multum pœnale videretur &
intolerabile; in medio venenato-
rum monstruosorumq; animalium,
draconum & bufonum nudus in
inferno iacere per sæcula poteris,
& quam intolerabile tibi erit ab iis

constringi

3. pro Feria III.

constringi, inuolui, & morderi? & qui iā deliciis adeò innutritus es, vt præ tenerritudine vix super pedes tuos incedere possis, splendideque epulari, mollibus indui, nec quicquam pati assueueris; quàm graue tibi erit infernali carcere claudi, sulphureo & ardenti potari absinthio, felle draconū venenoque aspidum ali, imò potius æterna esurie atque siti infabuliter cruciari?

Ecce quo tendit, ad quid pertingit, & quid in æternum recipit vita voluptuosa & superba carnalium & mundanorum hominū qui delitari eligūt in hoc sæculo, & per arctam viam salutis incedere nolunt; & tamen abscondita sunt hæc ab oculis eorū, quia cor suū obdurauerunt vt intelligentes non intelligant, præsentibusque solis mundi vanitatibus

Septem Considerationes.

intenti, de futuro nec curant nec cogitat; exœecat eos nempe propria malitia & consuetudo peruersa, qua premitur sic anima, vt nec resurgat, neque respiret ad Deum: & tam insipientes effecti sunt & insani, vt carnalia & terrena, bonis præferant cœlestibus, creaturam creatori, carnis spurcicies tam viles & momentaneas, interminabilibus & inæstimabilibus Paradisi gaudiis.

O infelix, ô peccator; nullus potest præsentibus diuitiis atque delitiis perfrui, & perennis gloriæ præmia promereri: & quid tibi proderit, ô miser, si mundum vniuersum lucratus fueris, animæ autem tuæ detrimentū feceris? quid tibi voluptates carnis & inania mundi gaudia proderunt, si pro iis in æterna miseria ardendum tibi est apud inferos, vbi nec vna

suppetet

3. pro Feria III.

suppetet aquæ gutta, qua æstuan-
tem possis refrigerare linguam?
quid proderit temporalibus abũ-
dare diuitiis, honoribus atque de-
litiis, si ab æternis illis & immorta-
libus bonis in perpetuum excludi
te contingit?

Oh, vbi est fides nostra? si cre-
dimus pro vno mortali peccato
æterna infligi tormenta tam acer-
ba, tam horrenda, quid est quod
vnquam peccare audemus, aut
(quod stolidius est) in peccato
manere, nisi quod infinita nostra
est stultitia, excœcatio atq; per-
uersitas?

O quanta est infernalium tor-
mentorum acerbitas, perpetuitas
& diuersitas? frigus, ignis, vermis,
tenebræ, desperatio, fames & sitis,
Dei priuatio, Dæmonum visio, la-
mentatio, blasphemia, rabies, odi-
um & omne malum in perpetuũ

dura-

Septem Considerationes.

duraturum, hæc sunt damnatorum exercitia. hæc eorum conuiuia, hæc consolationes eorum.

O quam insensati sunt ac miseri qui pro temporali prosperitate breuique voluptate, tot & tantis exponunt, vendunt & obligant se tormentis, in quibus vna hora videtur centum annis prolixior, vnaque dies longior mille annis; intuamur hæc viua, certa, & clara fide, quasi presentialiter ea conspiceremus, nec diabolicis suggestionibus fallacissimis vnquam credamus, qui velum nobis obtendit, ne nouissima nostra memoremur & quandoquidem diem & horam mortis nostræ nescimus; ideo quicquid boni valemus, instanter ac feruente operemur, vt cum pulsauerit dominus nos ad se vocans, parati inueniamur, & misericordiam in die iudicii consequamur.

3. pro Feria III.

ARTICVLVS II.

De pœnis inferni & insipientia peccatorum, cum exhortatione ad pœnitentiam.

DAmnatorum pœnas & tormenta, lingua narrare non sufficit, nec cor hominis comprehendere potest, inæstimabili pœna cruciantur, dum culpa sua, Dei beatifica visione priuatos se conspiciunt; ex quo sequitur vermis conscientia, qui incessanter animas eorum rodit, & nunquã moritur; horribilis etiam Dæmonum visio, quæ cruciatum eorum mirabiliter augmentat; adhæc igne atrocissimo comburuntur, & nō cōsumuntur, plurimaq; alia subsequuntur tormenta, cum intolerabili calore, inæstimabili frigore, & lamentabili dentium stridore; cruciabuntur enim miserabiliter in omnibus membris & sensibus,

E

quibus

Septem Considerationes.

quibus deliquerunt; in tactu scilicet, per flagellationes, torturas, combustiones, & similia alia infinita tormenta; in gustu, quia ibi fame & siti enecabuntur; & fel draconum vinum eorum, & sulphur & pix pars eorum; similiter & in reliquis membris & sensibus, ineffabiliter torquebuntur, & irruet in eos omnis dolor; & quomodo supportabunt miseri damnati tantum terribilia & æterna tormenta?

O peccatores, quanto nunc magis commensationibus & aliis delictis infudatis, tanto magis tormentum & luctum vobis præparatis in inferno, & tanto maiores vobis coaceruatis plagas in futuro: & quod erit refrigerium vestrum, o infelices, cum & terribiles Dei voces vobis exprobrantis audietis, & non solum Deus ipse & omnes Sancti contra vos stabunt, sed etiam omnes

3. pro Feria III.

am omnes creaturæ vos cruci-
büt in vindictam offensionis Cre-
atoris: ò igitur obstinati peccato-
res, eligitè potius in hac vita pœ-
nitentiam agere, quàm ad æternos
illos & intolerabiles inferni cruci-
atus accedere: tam asperi sunt e-
nim illi dolores, quod illic est gra-
uior pœna vnius diei, quàm hic
centum; & si cui daretur eligere,
hic potius toto tempore in variis
& maximis cruciatibus stare vel-
let, quam illic per horam.

Sed pœnas inferni super omnia
aggrauat perpetuitas & æternitas
quia nunquam deficient, neque
vnquam damnati consumentur,
sed continuo ad nouas pœnas re-
nouabuntur, neque solatium vn-
quam aut diminutionem in pœnis
sentient: ò ignis qui nunquam ex-
tinguitur. ò æternitas miseranda:
ò infideles & infelices peccatores,

Septem Considerationes.

si modò non potestis tenere per
momentum vnum digitum in isto
igne, quid facietis per mille millia
annorum in corpore & anima in
illo horribili igne submersi, cum
patiendum vobis erit per omnes
corporis partes? quis poterit ha-
bitare de vobis cum igne deuo-
rante, & cum ardoribus sempiter-
nis? profundus est infernus, qui
fundum & mensuram non habet:
insatiabilis est, qui omnes tam pau-
peres quàm diuites libenter susci-
pit: plenus est ardore incompara-
bili, plenus fœtore intolerabili,
plenus omni dolore innumerabili;
ibi est omnis miseria, ibi tenebræ,
ibi nullus ordo, ibi horror æter-
nus, ibi nulla spes boni, sed omne
malum quod æstimari potest da-
mnatis in æternum erit, & pro
qualitate peccati, erit & plagarū
modus: o Iesu miserere, o mater

Dei

Dei Maria succurre, vt in illa horrenda & æterna non incidamus tormenta.

O si consideraremus quid sit ardere in perpetuum in hoc igne infernali, quid sit priuatū esse visione & gloria Dei, & quantę sint angustię damnatis, dum considerant suapte culpa in tanta se deuenisse tormenta, quæ tam facile dum viuerent euadere poterant? ô obstinati peccatores, ô corda adamantina axis duriora, quare non plangitis audiendo tam horribilia? ô lasciui iuuenes, qui ridetis potatis, tripudiatis & scortamini; audite quid Saluator ipse dicat, væ vobis qui nunc ridetis, quia lugebitis & flebitis: quid prodest hic comedere, ludere, ad sonitum instrumentorum saltare, & delitiis omnibus repleti, & in puncto postmodum ad infernum descendere,

Septem Considerationes.

vbiligatis manibus & pedibus tormenta inæstimabilia subeunda erunt? Plangite potius nunc peccata vestra, ne in æternum plangatis: beati enim qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

Vtinam homines saperent & intelligerent atque nouissima prouiderent: mundus plenus laqueis est plerique præcipites ruunt in infernum, & nemo attendit, nemo sibi cauet: ô quomodo non terret nos paucitas eorum qui saluatur in mûdo, de quibus ex multis vix saluatur vnus; & quis audeat ire per pontem, in cuius transitu, de decem vix vnus ruinam & submersione euadit? legitur, quod B. Hieronymus post die mortis sue apprensus cuidam monacho dixit, quod die obitus sui decesserunt sexaginta tria millia hominum, & ipse cum quodam eremita iuerunt

ad

3. pro Feria III.

ad cælum, & quidā laicus ad purgatorium, omnes alii damnati: simile refertur de die mortis S. Ber.

Quidam etiam monachus Lugdunensis qui per triginta annos vixerat in eremo magna cum pœnitentia, post mortem apparuit Episcopo dicens; ha, ha, ha, ô iustitia Dei quam terribilis es, quam subtilis, quam acuta: ô Ioannes age pœnitentiam: eo enim die quo decessi fuerunt viginti octomille animæ omnes damnatæ: solum duæ ex illis iuerunt ad gloriam, & tres ad purgatorium. In chronicis etiam ordinis S. Francisci habetur, quod precante sancto & famoso prædicatore Fratre Bertholdo in Germania, mulier quædam subito peccati sui contrita mortua est, quæ postea sancti prædicatoris & populi oratione resuscitata, post confessionem sui peccati, quam

Septem Considerationes.

nunquam antea fecerat, inter alia narrauit, quod in hora sui obitus, mortuæ sunt, tam ex fidelibus, quam infidelibus sexaginta mille animæ, è quibus solæ tres ad Purgatorium fuerunt destinatæ, reliquæ omnes ad infernum.

Hæc considerans, ò peccator conuertere, & fac pœnitentiam, quoniam etsi omnibus hominibus exposita sit & promissa terra uiuentium: arcta tamen est via, & valdè pauci intrant per eam. ò miseri peccatores, quid agitis, quid cogitatis, & quare non timetis Deum, qui estis expectantes tormenta æterna inferni? considera te perdit peccator, quod non habetis tam magnum in hoc mundo solatium, quod vsu & assiduitate vobis tandem non generet tædium; magna vobis esset angustia & afflictio, etiam super lectu

mollem

3. pro Feria III.

mollem per multos dies stare ligatos; quomodo ergo facietis ligati in lecto illo ligneo & infernali, inter tormenta infinita, à quibus nunquam liberabimini.

Quod si damnati hanc possent habere gratiam, quod esset machina alta vsq; ad cœlum, continens totum mundum plenum granis milii, & post centum millia annorum irent ad tollendum vnum granum, & iterum sic post centū millia annorum aliud granum; & sic semper fieret, donec tandem euacuaretur illa machina, & tunc ab inferno liberarentur; cogitate quod millena millia annorum præterirent, antequam euacuaretur hæc machina; & tamen ingentem consolationem haberent damnati, si vel tunc post tam inexcogitabile spatium eis exire liceret; at nec hoc eis concedetur; omnis e-

Septem Considerationes.

nim spes eis præclusa est, & nulla est in inferno redemptio.

O infelix igitur conditio damnatorum: post enim millia milliū & decies millies cētena millia millium annorū temporis, adhuc restabit illis tantundem temporis, & nihil diminuetur; quoniam in gehēna perpetua miseri cruciabuntur, vbi nec qui torquet aliquando fatigabitur, nec qui torquetur aliquādo moritur; & tormenta sic infliguntur, vt perpetualiter renouētur. O dissoluti mortales, nunc nūc contremiscite & attendite: vbi est nunc Cæsar ille triumphalis imperator? vbi Alexander totius orbis Dominus & Monarcha? vbi sunt nunc qui ante nos in delitiis mundi gaudebant, tripudiabant & canebant? profecto ad inferna descenderunt. O lasciui & sensuales, in quo loco & vbi cre-

ditis

ditis vos ituros post hanc vitam? audite quod scriptum est, Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt: Si interrogatis, quando exhibitis de inferno, clamet omnis cum lachrymis homo, & dicat, nunquam, nunquam, nunquam, nunquam; cruciabimini enim die ac nocte in sæcula sæculorum, & non erit finis.

Contendite ergo miseri intrare per angustam portam, quoniam multi quærunt intrare, & non poterunt: arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui ingrediuntur per eam: angustam viam pauci inveniunt, nec omnes qui inuenerunt, ingrediuntur: multi enim, inuenta veritatis via, capti voluptatibus sæculi, de medio itinere reuertuntur, & non perseue-

Septem Considerationes.

rant; & sic paucissimi ad vitam & finem bonum perueniunt: lata autem est via quæ ducit ad perditionem, & ad pœnas nunquam desituras, & multi nimis ingrediuntur per eam: tam sunt insipientes plerique mortalium, vt maliat per flumẽ vanitatis & deliciarum mundi huius transire, & miserabiliter in eo submergi, quàm per viam breuissimæ pœnitentiæ ad gaudia nunquam finienda peruenire: ò homo, si vis securus esse quod sis de numero electorum, studeas esse de numero paucorum; si vis securissimus esse, studeas esse de numero paucissimorum: multi enim sunt vocati, pauci verò electi: Deus nos à tenebris ad lucem perducatur, & per suam misericordiam infinitam à pœnis liberet sempiternis.

Amen.

RE-

3. pro Feria IV.

REPREHENSIO MVN-
danorum cum exhortatione ad
Pœnitentiam.

Consideratio pro Feria IIII.

O Filii hominum, vsquequo graui corde? vt quid vanitatem diligitis, & queritis mendacium? vsquequo in peccatis vestris securi obdormitis, & Deum non timetis? vsquequo vias Domini non cognoscitis, & pretiosũ Iesu Christi sanguinem pro vobis effusum vilipenditis? vsquequo salutem vestram negligitis, & pœnas æternales effugere non curatis? ipse nempe diabolus cum pretextu specioso falsæ carnis & mundi libertatis, durissima & miserrima vos seruitute opprimit, & cū velo vestræ peruersæ concupiscentiæ, & voluntatis inordinate vos excecat, & tanquam manci-

Septem Considerationes.

pia post se ducens, per mortiferu
carnalium deliciarum & munda-
næ prosperitatis fluuium vos na-
uigare facit, donec paulatim vna
secum vos ad tartara pertrahat,
vbi irremediabiliter æterna puni-
tione cum ipso cruciabimini Dæ-
mone, cuius tyrannidi vos ipsos
sponte submisistis.

O miseri peccatores, aperite
nunc oculos dum adhuc tempus
est, ne pœna vobis eos æterna
quandoq; sine fructu aperiat: Sa-
tis huc vsque dormitum; satis
mundo & carni datum. Expergi-
scimini antequam moriamini in
peccatis vestris, & æterna vos ge-
henna comprehēdat: Melius cer-
tè vobis esset aliquam facere pœ-
nitentiam in hoc mundo, & a mul-
tis delectationib⁹ abstinere, quàm
in carcere horribili pleno scorpio-
nibus & viperis, etiam per paucu-

4. pro Feria IV.

los annos recludi: quare ergo nō
dimittitis peccata, pro quibus per
infinita sæculorum sæcula incar-
cerandi estis in inferno, qui locus
tam est horribilis, & tantis abun-
dans tormentis, vt miseriam eius
& horrorem, nec lingua enarrare,
nec cor cogitare sufficiat?

O vos dissoluti & lasciuī, gulo-
si & ebriosi, qui delectationibus
corporis in tantum estis addicti,
vt nihil aliud vobis cogitare cordi
sit, explete vos quantum poterit-
tis omnis generis lasciuīs & com-
messationibus; saltate & ridete,
quantum libuerit in hoc momen-
to temporis; veniet, & citō veni-
et aliud tempus in quo plangetis,
& risus vester in luctum æternum
& irremediabilem conuertetur:
omnes enim illecebræ corporis
breui finiuntur & exterminātur,
ad infernum autem rectā sectato-

Septem Considerationes.

res suos deducunt, & in tormentum desinunt nunquam finiendū, & nullatenus ad cœlum ascendere potest anima peccatrix quæ turpia commisit, nisi maculas cōtractas pœnitentiæ lachrymis in hoc mundo abluerit.

Et quid vobis proderunt, ò ambitiosi & potentes, fama, reputatio & honores huius mundi, quibus ad omnem fastum, superbiam & iniustitiam abutimini, quid etiam vobis conferent diuitiæ, ò auari, raptores & vsurarii, si pro iis vobis ardendum est in inferno, vbi ludibrio eritis dæmonibus ipsis, & non cōcedetur vel vnica aque gutta, qua possit infelix æstuantē refrigerare linguam?

O peccatores obstinati, qui cōtritionem de peccatis non habetis, sed exultatis in viis vestris pessimis; scitote, quia propè est Do-

minus.

4. pro Feria IV.

minus, & non semper tacebit; scitote, quoniam in inferno tandem contriti eritis; sed nihil proderit tunc vobis ista contritio, nihil lachrymæ vos iuuabunt: audite consilium meum, & bene erit vobis: nunc dum tempus est acceptabile, vosmetipsos cum vera contritione & confessione Deo præsentate, & non despiciet opus manuum suarum, qui per Prophetam pollicitus est, quod in quacūque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabitur amplius.

O impii, qui aliam non putatis esse vitam; o superbi, qui semper excelsa quæritis, & tanto cum fastu inceditis: o epulones & carnalēs, qui in ventre vestram omnem constituistis felicitatem & curam: o malitiosi, qui proximum opprimitis aut circumuenitis, vel certe

Septem Considerationes.

despicitis, nullamq; ei misericordiam facitis: ò infideles & homicidæ, ò vos omnes peccatores terræ, qui iniquitatem bibitis tanquã aquam, & nunquam Deum offendere desistitis, quid tãdem omnes deuenire putatis? imaginamini ne pœnas euadere infernales? ne, queso, vos ipsos decipiatis; certe, nisi pœnitentiã egeritis, omnes simul peribitis: dilatauit nempe infernus & aperuit os suum, & descendēt fortes eius & sublimes gloriosiq; eius ad eum, ò quid facietis, quando infernus incipiet aperire fauces suas, & de tam alto præcipitabimini quod profundum non videbitis? certè cum armis & delitiis vestris in infernum descendetis, neque miserebitur vestri Deus, qui peccantibus Angelis non pepercit, quoniam eum dum viueretis, non agnouistis, & verifica-

bitur

bitur de vobis illud Pſalmiſtæ; ſicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.

O ſi nobis aures ad os inferni ponere liceret, quàm lugubres & lamentabiles voces audiremus? Alii nempe ſeipſos cruciant dicentes, ò quomodo mundus me decepit, quomodo concupiſcentia me ſeduxit? & quomodo veni in deſolationem hanc? ò quàm paruo labore tormenta hæc euadere potueram, & quomodo me mors improuiſum ſurripuit; dum vitæ emendationem ſemper procrastinarem, & nunquam inciperem? Alii præ dolore plorantes, Heu, heu, quàm vrens, inquiunt, & ardens eſt iſta flamma? quis dabit nobis ad refrigerandum vel vnicâ aquæ guttulam? quis nos liberabit à cruciatibus iſtis? quis nos in tantis doloribus conſolabitur? vbi

Septem Considerationes.

sunt nunc amici nostri, vbi diuitiæ, vbi delitiæ, vbi honor, vbi potentia? en quomodo vt somnium præterierunt omnia ista, & nos in pœnis istis sine fine remanemus? Alii desperantes, heu me, Deus, inquit, quia me creasti; maledicti parentes qui me genuerunt; maledicti qui me in delitiis & vanitate nutriuerunt; maledicti qui me ad peccandum induxerunt, vel adiuuarunt.

Hæ & similes sunt ordinariæ damnatorum cantiones; hæ lugubres eorum nil profuturæ lamentationes, quas si effugere desideramus, conuertamur in corde cōtrito & tēpore opportuno ad Dominum Deum nostrum, qui pius & misericors cum sit, mortem nostram non desiderat, sed conuersionem & vitam. Cum pauculis lachrymis maculas omnes animæ

& flam-

4. pro Feria IV.

& flammam infernalem peccati nostris debitam extinguere nobis modò licet; in futuro non item. Adeamus ergo cū fiducia ad thronum diuinæ clementiæ, peccata nostra cum fletu & humilitate cōfitentes, vt veniam de commissis obtineamus, & manum eius vlticem in alio sæculo non sentiamus. Quod si prima facie maiestatem Dei nobis offensi accedere non audeamus, ne liquefiamus tanquā cera à facie ignis, confugiamus ad matrem misericordiæ, quæ nostri est amantissima, ipsique nostram manifestemus miseriam. Ipsa enim pro nobis officio fungetur aduocatæ apud filium, cui sua pro nobis ostendet olim lactata vbera: & filius tunc placatus Patri latus ostendet & vulnera; nihil autem Pater negabit filio postulanti; nihil filius matri interpellanti; nihil

Septem Considerationes.

mater peccatori ploranti. Quomodo nunc, o peccator, diffidere amplius audeas, tantis fultus aduocatis, tantis munitus præfidiis, & promissis? & quomodo in peccatis perseuerares amplius, tã dulcibus Dei vocibus ad resipiscenciam inuitatus, tam terribilibus gehennæ periculis, si in obstinatione permaneris, irretitus, tam benignæ matris solatio tutus, tam pretioso Christi Iesu sanguine redemptus? eia, eia, mouere, si lapide durior non es, vel nunc tandem ad pœnitentiam; mouere ad tui ipsius cõpassionem, vt non sic te ipsum voluntariè præcipites in barathrum damnationis æternæ, cū ad beatitudinem sempiternam regressus adhuc tibi pateat, & ad eam consequendam tanto cum amore Deus ipse te crearit, tanto cum dolore te reparauerit.

Omnia

4. pro Feria IV.

Omnia quæ tato cum studio hic
prosequeris & amas in hoc mun-
do, vana sunt & finem breui acci-
pient: momentaneum est omne
quod hic delectat, æternum autē
quod cruciat: & quid, quæso, tibi
prodest si vniuersum mundum
hic lucreris, animæ autem tuæ in
futuro detrimentum facias? aut
quam commutationem dabis pro
anima tua? ò stulte & insipiens,
prouide tibi pro futuro, vt in æter-
num bene sit animæ tuæ, & dele-
ctationes noli ante tempus in hoc
mundo quærere, vbi transitoria
sunt omnia & instabilia: humilia
te ipsum, & afflige paulisper in
hoc mundo, vbi pœnitentia fru-
ctuosa est, vt in æternum cum La-
zaro quiescas in cœlis, & nō cum
diuite epulone sepeliaris in infer-
no: faceffant vanitates, faceffant
impuræ voluptates: solius salu-
tis

Septem Considerationes.

tis & animæ ratio habeatur, quæ plus valet inæstimabiliter, quam reliqua omnia creata in hoc mundo, vbi vanitas vanitatum & omnia vanitas, præter amare Deum, qui solus nobis sufficit, & solus perfectè nos satiare potest, ipsi laus, honor & adoratio per infinita sæculorum sæcula, Amen.

DE GAUDIIS PARADISI

Consideratio pro Feria V.

O Homo, quid quæris, quid requiescis in hoc mundo? nihil eorum quæ speciosa sunt & expectanda in hac vita, animam tuam satiare potest. Hoc solum potest Deus, qui medullas cordis penetrat: fecit enim Deus rationalem creaturam, vt summum bonum intelligeret amando possideret, & possidendo frueretur. Si ergo Deus solus est obiectum intellectus,

anima

anima nō in creaturis, sed in Deo
beatificari debet: tam nobilis enim
est anima nostra, vt semper ad
Deum qui fecit eam aspiret, & nō
possit satiari, nisi per summū bo-
num: Hinc suspiria illa gementis
animæ, sitiuit anima mea ad Deu
fontem viuum, quando veniam
& apparebo ante faciē Dei? satia-
bor tunc, cum apparuerit gloria
tua, & quis comprehendere possit
vel minimam scintillulam dulce-
dinis illius & gloriæ quam præpa-
rauit Deus diligentibus se? Hoc
certè desideria omnia transgredi-
tur & vota; acquiri potest, æsti-
mari non potest: In illa enim cœna
futuræ beatitudinis quæ præpara-
tur electis, manducabunt illi panē
qui de cælo descendit omne dele-
ctamentum in se habentem, & mā-
na illud absconditum sibi repro-
missum degustabunt, in quo dele-

Septem Considerationes.

et abitur satiabiturque sensus interior in contemplatione Diuinitatis, & exterior similiter sensus in contemplatione humanitatis; Ibi replebuntur & potabuntur torrente voluptatis diuinæ, & dicitur eis, bibite & inebriamini charissimi, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.

O quam gloriosum est istud regnum, in quo cum Deo regnant sancti omnes & electi sine fine? Ibi videbitur & percipietur omne bonum quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: Gaudebunt ibi ciues illi cœlestes de gaudii sui durabilitate, & de iucunda societate, canentes, ecce quam bonū & quam iucundum, habitare fratres in unum; nulla erit ibi societatis miseria, sed omnes occurrent in virū
perfe-

perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: Ibi erit vita sine morte, requies sine labore, securitas & pax sine turbatione & timore; Ibi Rex Christus erit in lucem sempiternam; cuius splendidissima contemplatione fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum; ibi omnis pulchritudo, perenne solatium, & quies sine fine; Ibi cum inæstimabili consolatione videbitur in gloria sua Dei mater gloriosa Virgo Maria; Ibi Sanctorum gloriam cernere licebit; Ibi corpus clarificatū cuiuslibet electi conspicietur, & mouebunt se electi cum omni agilitate & libertate quocumque voluerint in instanti, quia omnia elementa erunt eis penetrabilia, nec ipsos aliqua creatura poterit retinere.

Ⓞ qualis erit illa felicitas supernæ ciuitatis, vbi erit omne bonum

Septem Considerationes.

quod scilicet oculus non vidit, auris non audiuit, & cor hominis comprehendere non potest, & deerit omne malum; Ibi in Deo videbimus & intelligemus omnia: Ibi Regē cernemus in decore suo: Ibi Trinitatem Sanctissimam cum ineffabili iubilo contemplantur; Ibi oculo corporali Maiestatem Christi videbimus: Ibi increatam & infinitam bonitatem diuinæ essentiae agnoscemus, quæ omne delectamentum in se continet, quo noster satiatur appetitus: Ibi rerū omnium abundantia perfruemur & Deum nobis blandientem & dicentem audiemus, fili tu semper mecum es, & omnia bona mea tua sunt.

O quale est istud regnum, vbi dotibus excellentissimis decorantur corpora nostra, vbi adimplebitur omne desiderium nostrū
& ab-

& absterget omnem lachrymam
Deus ab oculis nostris? quale gau-
dium ibi erit, cum te videris sociū
Angelorum, participem regni cœ-
lorum, cum Rege regnantem, &
sine morte in æterna vita viuen-
tem? In hoc mundo transitoria
sunt omnia, nihilq; stabile est sub
sole; sed regnum cœleste erit æter-
num, & gaudium electorum ne-
mo tollet ab eis: sedebunt enim e-
lecti in multitudine pacis, in re-
quie opulenta, & cum Deo regna-
bunt in sæcula sæculorum; gloria
hæc est omnibus Sanctis eius.

O Christiani, quare non quæri-
tistale vobis acquirere regnum?
In tam felicem sortē vocati, qua-
re negligitis vos tanto bono red-
dere dignos? Si omnia mundi tor-
menta pati deberemus, vt tanta
semel & æterna felicitate potire-
mur, certè non sunt condignæ

Septem Considerationes.

passiones huius mundi ad tantam
quæ nos in cœlis expectat gloria:
laboramus hic in terris ad acqui-
rendum aliquid de honoribus &
diuitiis mundi, & magnis nos ex-
ponimus ad eum finem periculis;
sed ad acquirēdum regnum istud
beatitudinis, labores istos nostros
conuertere deberemus, & multo
felicius nobis cederet. Regnum
enim cœlorum vim patitur, & vi-
olenti rapiunt illud: vult enim
Deus, & æquissimum est, vt regnū
istud cœleste laboribus acquiramus,
& bonis operibus promereamur.
Nolite ergo deficere, vos
qui tribulati estis & angustiati, sed
patienter angustias vestras tole-
rate; & vos qui tentationes susti-
netis, pugnate fortiter cum anti-
quo serpente, vt regnum æternū
bonis omnibus plenum pro mer-
cede recipiatis. Per multas enim

tribu-

tribulationes oportet nos intrare regnum cælorum; & quanto fueritis plus tribulati in hac vita, magis eritis consolati in alia, & eo magis dulcia vobis videbuntur Paradisi gaudia.

O quam dilecta tabernacula Domini virtutum, vbi millia millium ministrant ei, decies centena millia assistunt ei? Cum his beatissimis Spiritibus erit conuersatio nostra in cœlis, & eis erimus similes. Cum his Deum iugiter laudabimus, & ex numero illo infinito Angelorū & Sanctorum nobis gaudium accrescet in cœlis. O quid non properamus & currimus in patriam nostram videre parentes, vt salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat parentum; fratrum & filiorum frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de sua incolumitate se-

cura.

Septem Considerationes.

cura, & adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum & complexum venire, quanta & nobis & illis in cōmuni lætitia est? Et qualis illa cœlestium regnorum fœlicitas & voluptas, vbi nullus est timor mortis, & cum æternitate viuitur? Illic Apostolorum gloriosus chorus, illic Prophetarum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis exercitus, ob certaminis & passionis victoriam coronatus; illic triumphantes Virgines, quæ concupiscentiam carnis & corporis voluptates continentiae robore subegerunt: illic sancti & mortificati Confessores, qui misericordiae & iustitiae opera fecerunt, & contemptis istis omnibus terrenis, mente semper in Deū erecti, ad cœlestes thesauros omnia sua desideria transtulerunt.

Ad

Ad hos ergo cum auida cupiditate properemus, & cum ipsis cito esse, & ad Christum venire exoptemus. Grandis erit enim nobis consolatio, quando in cœlo videbimus tantam multitudinem Regum & Reginarum, Sanctorum scilicet & Sanctarum, nobiscum Deum laudantium; stulti autem nimis sunt & insipientes, qui ad tam præclaram & delectabilem patriam non anhelant, sed potius in mundi huius vilissimis voluptatibus delectantur; & magna nimis est insania, absynthiū mundi huius siti. e, vitæ præsentis sequi naufragium, tyrannidumque imperia ferre, & non magis conuolare ad sanctorum societatem, & ad Angelorum cœtum, vbi vacare possimus & videre, quam suavis est Dominus, & quam magna multitudo dulcedinis eius. Ama-

Septem Considerationes.

rescant, obsecro, mihi, dulcis I E-
s u, omnia huius mundi, vt tu so-
lus sapias animæ meæ, qui es dul-
cedo inæstimabilis; per quam om-
nia amara dulcorantur. Sufficit
enim mihi tua dulcedine satiari,
omnem aliam fastidio dulcedinē;
te solum quæro & concupiſco, a-
pud quem esse bonum est & opta-
bile nimis animæ meæ. Satiabor
tunc, cū apparuerit gloria tua,
fiat, fiat.

*ADMONITIO CVM REPRE-
hensione dura ad peccatores terræ.*

Consideratio pro Feria Sexta.

ARTICVLVS PRIMVS.

AD vos nunc, peccatores ter-
ræ, loquor; ad vos homines
seculares, qui mundanis intenti,
delitiis voluptatibusq; effluitis, &
in vanitatibus vestris gloriantes,
Deum & monita eius pro nihilo
ducitis, loquor; Abstinetes vos,

obse-

obsecro, prauis operibus vestris
quibus conquinati estis, & conta-
minata est terra ab iniquitatibus
veltris pessimis, quæ sunt auaritia
luxuria, fornicatio, adulterium,
homicidium, superbia, ira, odium
inuidia, blasphemix, ebrietates:
Attendite & intuemini viam ve-
stram quomodo ambuletis per eam
quoniam impossibile est vobis cum
talibus vitiis introire regnum Dei.
Vobis Deus legationes suas man-
dat, & paternas admonitiones mit-
tit, & vos illum audire dedignami-
ni, eumque spernitis qui pro vobis
natus est & passus.

O generatio insensa & onerosa
D. Deo vestro, vt quid tanto stu-
dio diligitis quæ odit Pater vester
cœlestis, & Dominum cœlorum
irritare non timetis in conspectu
cuius omnium Angelorum multi-
tudo contremiscit: Dicite mihi,

Septem Considerationes.

quem fructum consecuti sunt in his prauitatibus omnes qui ab initio sæculi inuenti sunt ambulantes in eis, & non apposuerunt placare faciem Dei nostri pœnitentię remediis? Quid vobis annunciauerunt de his vniuersi testes veritatis? Si obliuiscitis, ecce iterum annuntio vobis coram Deo viuente quia clausum est eis cœlum æterna & indissolubili clausura, & abcondita erit ab eis desiderabilis facies Dei nostri, & alieni facti sũt i conuiuio sempiternę lætitię Sanctorum, qui abominati sunt vias iniquitatis eorum pessimas: Et ecce confortes facti sunt durissimi diaboli & infelicium Angelorum eius, qui absque misericordia & sine cessatione affligunt & calcant ceruicem eorum quam aduersus factorem suum erexerunt, & pascuntur in amarissimis plagis eorum

rum; & quia clauferunt oculos suos, ne viderent lumen agnitionis Dei & Sanctarum iustificationum eius, & dilexerunt opera tenebrarum, deputati sunt voragini horrendæ caliginis quæ exitum non habet, neque illustrari poterit ab vlllo lumine in perpetuum.

Timorem Domini sanctum habere despexerunt, & irritauerunt eum in lætitia voluptati suæ, & succenderunt in seipsis illicitos ardores libidinis, & iræ, & insatiabilis auaritiæ; propterea manet super eos timor plenus horrore & inconsolabilis tristitia, & mordax indignatio, & facti sunt carbones sempiterni incendiū qui extinguī non poterunt in æternum, neque vlla adustione consumi: Audite hæc irritatores Dei, & discedite à viis perditorum, dū tempus correctionis habetis, & redite ad viā

Septem Considerationes.

immaculatam, quam præparauit vobis Deus ab initio, & videte quomodo cum timore Dei ambuletis in ea.

Audite vos coniugati, auferte quod malum est coram Domino, & tollite maculam de cubilibus vestris; liget corda vestra timor Domini, & in opere vobis concesso frenum vobis ipsis imponite, & non more bestiarum omnem impetum desiderii vestri sequamini: Date honorem ordini vestro quæ Deus honorare dignatus est, & nolite inducere scissuram & maculam copulæ vestræ: Lex Domini iungat vos, & sanctificet, sitque vobis domus vna, mensa vna substantia communis, vnus thorax & anima vna, & date locum timori Domini in medio vestri: Decor enim thalami coniugalis est timor Domini, & qui ab eo vacuus fuerit,

s. pro Feria V.

fuerit, maledictus & immūdus reputabitur à Domino. Exhortamini vos alterutrum ad continentiam, & orate pro inuicem, vt continere valeatis, & vt spiritus immunditiæ fugiat à vobis. Cū autem præualuerit infirmitas concessio remedio expianda est, vt ad illicita non labatur: Mutuæ conjunctionis præcipua causa sit propagatio prolis; Si qua alia est, ad infirmitatem pertinet, & habet indulgētiam, si timoris Domini moderationem habuerit, & eleemosynarum remedium.

Audite fideles, & ingemiscite, super malis filiorum hominum, quoniam viri dierum istorum in magno numero declinauerūt corda sua in insipientiam mulierum, & stulti facti sunt consentiendo insaniam illarum: Arrogantia vestimentorum in filiis & filiabus sæ.

Septem Considerationes.

culi increuit supra modum in terra, & insaniunt in ea, & inducunt iram Dei in mundum: Gloriantur ambulare compositis gressibus, in multitudine pannorum suorum, & inutiliter consumere student quæ indigentium vñsibus necessaria essent: ò infelicitas, ò miserima cæcitas; rem multo sudore cõquisitam luto committūt, vt posse trahant oculos adulterorum; & vnde regnum Dei comparare poterant, gehennæ sibi mercantur incendium. Auferte viri malum hoc ab oculis Domini, & nolite gloriari in vanitatibus vxorum vestrarum, sed magis indignationem habete, quia scortantium similitudinem induerunt. Pannorum ista superfluitas & strictura vestimenti ad nihilum utilis est, nisi ad iussocandos partus: & arrogantia crinalis operimenti, multa-
que

que his similia, venalium mulierum adinventiones sunt, & non pertinent ad legales matronas.

Clamor meus à Domino nunc ad vos qui deposita virili grauitate mollitiem fœminarum induistis, ò stulti & vanissimi, vt quid dereliquistis serios mores iustorum senum qui vos præcesserunt, & declinatis in vanitates & insanias diabolicæ adinventionis, quæ non proderunt vobis, nisi ad augmentum incendiï vestri. Væ vobis, qui in concupiscentia libidinis exardetis, & cum impleueritis desideria vestra pessima, non quiescitis, sed iterum atq; iterum reditis in id ipsum, & nunquam saturari vos posse arbitramini, sed super modum in omni immunditia & luxuria vosmet ipsos fœde præcipitatis, & prouocatis iram Dei in vos: Væ, qui superbitis in pompa vestimē-

Septem Considerationes.

ti splendidi & superflui, qui delicate compositi inceditis, & quod auarè quæsitum est, ad nihilum deducere gloriamini: Væ qui lasciuitis in capillatura muliebri, & formam viri in vobis deturpare non erubescitis: Væ qui in ludis vanis, Væ qui in commestationibus & ebrietatibus tempus infructuose deducitis: Væ qui linguati estis ad irrisiones & detractiones, & ad fabulandum quod non prodest, & ad concinandos dolos, & ad subuertendam causam innocentis: Væ qui venalem habetis sermonem, in consilio, & ex angustiis oppressorum ventrem adimplere gaudetis: Væ qui litigiosi estis & discordias seminatis inter ciues: Væ vobis rapacibus & profundis corde ad multiplicandam substantiam mundi, quæ vobiscum euanescit: nunquid qui plantauit aurem non
audie

audiet, aut qui finxit oculum nō
considerat? Quiescite Filii homi-
nū ab irritatione Domini, quia in
proximo est, vt euigilet, & in igne
zeli sui irritatores iuos deuoret:
Iterum dico vobis, qui sub iugo
matrimonii estis, Deum timete, fi-
dem & dilectionem immaculatā
inuicem custodite; filios vestros
& filias & familiam vestram in ti-
more Domini & castimonia enu-
trite: Decima Domini & merces o-
perarii non moretur apud vos, be-
neficentiæ in pauperes nolite obli-
uisci, modum rationabilem in o-
mni re obseruate, & voluntatem
propriā timore Domini refrēnate.

ARTICVLVS SECVNDVS.

*Pro carne domanda, seipso vincendo,
& agenda pœnitentia.*

O Homo, cur voluntatem tuā
sequeris & Dei præcepta co-
temnis? Tu post lupum curris,

Septem Considerationes.

quasi ite lædere non possit: Sed famelicus lupo tandem te deuorat, dicens, ouis ista secus viam errauit, nec pastorem suum sequi voluit, sed ad me cucurrit, quapropter ipsam deglutire volo, quia me elegit, & pastorem suum deseruit: o Homo, Deus iustus est, & omnia in cælo & in terra iusta ordinatione disposuit: facit autem Deus sicut magnus medicus, qui languidum videt: Si languor paruus est, eum facile curat; si verò grauis est, aurum & argentum ab eo exigit: Minora peccata in gemitu & lachrymis ac in bona voluntate hominum abstergit Deus; in grauioribus autem culpis mandat tibi Deus, o Homo, vt mores corrigas, & agas pœnitentiam; quod si feceris, ostendet tibi misericordiam suam: & vitam æternam tibi dabit.

O quam

O quàm miser es, ô Peccator, cum in multitudine carnalium desideriorum sordes? Ora, ora Deû, vt tibi succurat, & clamorem precum tuarum exaudiet. Veruntamen carnem tuam debes domare, & imperio animæ subiugare: Ne dixeris autem, cum homo sis, te pondera tam magna in carne tua sentire, vt ea superare non possis, quasi Deus ipse bonus cum sit, omnia bona in te perficere solus debeat: Qui enim te in tam magnis laboribus de morte liberauit, is voluntatem & consensum tuum ad te saluandum expetit, vtq; quod in te est facias, requirit: oculos enim habes ad videndum, aures ad audiendum, cor ad cogitandum, manus ad operandum, pedes ad ambulandum; ita quod toto te corpore potes erigere vel incuruare, dormire vel vigilare, man-

Septem Considerationes.

ducare vel ieiunare. Sic te DEVS creauit. Vnde & concupiscentiis carnis tuæ resiste, & Deus adiuuabit te. Nam cum te opponis diabolo, velut fortis bellator inimico suo, tunc Deus delectatur in certamine tuo, volens vt eum omnibus horis & in omnibus angustiis tuis constanter inuoces. Sed dum carnem tuam non vis domare, tunc facis eam vitiis & peccatis epulari, quoniam ei frænum timoris Domini abstrahis, cum quo eam coercere deberes, ne in perditionem iret; sicque ad diabolum respicis, sicut ipse ad iniquitatem respexit, cum in mortem cecidit; & ipse de perditione tua gaudens, dicit: Ecce homo qui nobis similis est; & tunc super te cadit, atque vias suas in vmbra mortis, secundum quod sibi placet, in te reponit: sed Deus nouit quid boni facere

cere possis, ideo lex tibi posita est, secundum quod laborare potes.

Deus ab initio sæculi vsque ad consummationem eius in electis suis complacere vult, vt ipsi in claritate virtutum fidelissimè ornati coronentur. Quomodo? homo voluptati carnis suæ hoc modo resistat, ne delitiis huius mūdi diffluat; nec etiam tam secure viuat, quasi in propria domo sua maneat, quoniam peregrinus est, & Pater cœlestis eum expectat, si fortè ad ipsum in cœlum, vbi eum esse nouit, redire vult.

Elige ergo, o homo, quam viam siue boni, siue mali ire desideras, hoc enim in tuo est arbitrio. Si bonas vias ambulare volueris, & verba Dei audieris, assidua & synccera prece Deum ora, vt tibi succurrat, & non te deserat; quia fragilis in carne tua es, & ad humilitatem

Septem Considerationes.

caput tuum inclina, opera autem mala festinanter à te proiice & excute: Quod si in peccatis cecideris, mox in cōfessione & vera pœnitentia surge, antequam mors oriatur in te: Pater enim tuus vult vt clames, plores, & auxilium petas, ne in sordibus peccatorū permanearis; sed si vulnera acceperis, medicum quære, ne moriaris; vtque melius contra te pugnare, a malis abstinere, & bona opera possis operari, (hæc enim omnia per Dei gratiam potes) Cum malum in te surgit, & nescis quomodo illud abiicias, tunc tactu gratiæ diuinæ (quæ in viis interiorum oculorum tuorum te tangit) adiutus, clama, ora, confitere & plora, vt tibi Deus succurrat, malumq; à te auferat, & tibi vires in bono tribuat. Fac quod in te est, fac aliquam tibi violentiam, & Deus tibi non deerit.

6. pro Feria V.

deerit. Nam si alicuius hominis operarius esses, quoties oporteret te id facere, quod corpori tuo difficile ac molestum esset, & quàm multa laboriosè propter mercedè terrenam sustineres? & cur Deo propter supernam & æternam mercedem non seruis? Cur illi non adhæres, qui tibi animam & corpus dedit? Si rem aliquam temporalem concupisceres, ô quantum laborares, vt illam saltem vel paruo tempore habere possis; & quomodo te fastidit illud bonū quærere quod finem non habet, & tã facile assequi potes?

Certè, sicut bos stimulo agitur, sic & tu corpus tuum timore Domini exercere debes, quia si hoc feceris, Deus non abiiciet te: si enim tyrannus aliquis te captiuaret, protinus ad illum te conuertes, qui tibi auxilio esse posset, &

Septem Considerationes.

ei supplicares eūq; orares, & substantiam tuam illi promitteres, vt tibi succurreret.

Sic & tu, ô homo, fac, cum iniquitas te ceperit: ad Deum te cōuerte, supplica, ora, & conuersionem tuam promitte, & Deus te adiuuabit: Sed tu, ô homo, cæcus es ad videndum, surdus ad audiendum, vecors ad te defendendū, quoniam intellectum quem tibi Deus infudit, & quinque sensus corporis tui quos tibi dedit, quasi pro nihilo & pro vanitate habes: Nonne intellectum & scientiam habes? Regnum Dei potest emi, non autem ioco acquiri.

Audite ergo, ô homines, & nolite despiciere introitum cœlestis Hierusalem: Nolite tangere mortem, & Deum derelinquere; nolite in peccatis crescere, & in bonis deficere; Deum enim audire non vultis,

6. pro Feria VI.

vultis, cum in præceptis eius ambulare recusatis; & ad diabolum curritis, cum desiderium carnis vestræ perficere contenditis: Respicite ergo & confortamini, peccatores, & medicum quærite, antequam in mortem ruatis: Oendet enim medicus amarum succum pigmenti, per quem sanari poteritis: Probabit autem, vtrum pœnitentia vestra de radice cordis, an de vento instabilitatis procedat; cumque hoc probauerit, dabit vobis vinum compunctionis & pœnitentiæ, vt fœtorẽ vulnerum vestrorum abluat, & vobis oleum offeret misericordiæ, quatenus eadem vulnera ad sanitatem liniat. Iniunget etiam vobis, vt circa sanitatem vestram solliciti sitis, & stabiles a modò permaneat, quia vulnera vestra graua sunt.

Septem Considerationes.

Multi sunt, qui vix pœnitentiã suorum peccatorum suscipiunt, & quamuis multo labore, tamen eam propter metum mortis peragunt; Quibus tamen etiam manũ porrigit Deus, ita quod pœnitentiã illam propter amorem Dei magna cum tranquillitate perficiant, quam cum magna difficultate inceperant: Qui autem pœnitentiã peccatorum suorum neglexerit, quoniam corpus suũ castigare difficile sibi esse dicit, miser est, quia non vult in seipsum respicere, nec vllum medicum quærere; sed pessimum liuorem in se celat, & mortem in simulationem tegit, ne videri possit: vnde piger ad gustum pœnitentiæ est, consolationem redemptionis quærere non curans, & ideò in mortem properat, quoniam mortem dilexit, nec regnũ Dei quæsiuit, dum-

que

que per modicam & temporalem
pœnitentiam corpus affligere par-
cit ac metuit, illud in tormenta in-
dicibilia nunquamq; finienda tra-
dit: ô fideles attendite vobis, &
veterē hominem abiicite, ne vos
damnatio mortis apprehendat:
Nam currenti & laboranti regnū
Dei apertum est, in terra autem ia-
centi & dormitanti clausum est.

Quamdiu viuit homo, multi tē-
tationum turbines animam per-
turbant, quæ ipsam per carnis de-
lectationem crebrò ad peccata
terrenarum concupiscentiarum
inclinant; Sed illa si bonæ volun-
tatis est, resumptis viribus se viri-
liter erigens, fortiter eis resistit, &
licet diabolicæ plurimæ insidiæ eā
ad multa scelera pertrahere, eāq;
deicere conantur, ei tamen suis il-
lusionibus præualere non possūt,
quin illa fortiter repugnans, locū

Septem Considerationes.

eis infaniendi non dat, & superna protectione se muniens, à se iacula fallacium deceptionum expellit, & ad creatorem suum recurrit qui tam fidelis est, vt eum etiam qui cecidit, & veniam confidenter petit, adiuuet, & contra diabolica figmenta corroboret: Intellige ergo, ò homo, quid in anima sis, & pecoribus non te finas comparari: compungere de commissis, & venia tibi non negabitur; redi ad Deum tuum, & ipse te suscipiet.

DE REVERSIONE PECCATORIS, & bonitate Dei, & peragenda pœnitentia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Consideratio pro Sabbatho.

Dira & æterna tormenta diabolo & eum subsequenteribus, qui se à summo bono auerterunt, nec illud scire aut intelligere cura-

uerunt,

7. *pro Sabbatho.*

uerunt, iuste præparata sunt; unde & ab omni bono deiecti sunt, non quia illud nescierunt, sed quoniam illud in magna superbia contempserunt: Hi nempe sunt, qui gloriantur in superbia nequitiae, qui in omni voluntate carnis voluntantur, & Deum non timent, sed illum in peruersa impietate spernunt, quia etiam in hora ultionis Dei sicut terra conculcabuntur, & quoniam diabolum in actibus suis imitati sunt, participes poenarum eius secundum merita sua efficiuntur, & cumulum damnationis habentes à scientia Dei proiecti sunt, & ideo infernales poenas sine consolatione ereptionis habebunt.

Aliae autem animae peccatrices in obliuione Dei non existunt, quae purgationem peccatorum suorum in quibus prolapsae sunt, recipiunt,

sed

Septem Considerationes.

sed tandem absolutionem vincu-
lorum suorum sentiunt, & ad re-
quiem ereptæ perueniunt: Gehen-
na enim iis obuia est, qui Deum in
obliuione cordis sui sine pœniten-
tia habent; Cætera verò tormen-
ta, iis, quamuis mala opera faciant,
tamen in iis vsq; ad finem non per-
seuerant, sed tandem ad Deum in
gemitibus suis respiciunt. Qua-
propter, ò fideles diabolum fu-
gite, mala opera abiicite, & bona
cum decore pœnitentiæ complete,
vt misericordiam consequamini
in tempore opportuno: conuer-
timini, inquam, & agite pœniten-
tiam de omnibus iniquitatibus ve-
stris, & non erit vobis in ruinam
iniquitas.

O vos omnes qui hætenus in
peccatis iacuiſtis, recordamini
nominis uestri, conuertentes vos
ad vitam salutis, & facite alia ope.

ra in fonte pœnitentiæ, qui prius fecistis multa scelera in excœcatione vestra, & ita à mala consuetudine vestra surgentes non deprimet vos in ruinam mortis iniquitas illa in qua forduistis, quia illam in die saluationis vestræ abieciſtis: Quin & gaudium Angelorum super vos erit, quoniam à diabolo recessistis & ad Deum cucurristis, eum sic melius in bonis actibus cognoscentes, quam prius eum sciretis, cum in irrisione antiqui seductoris permanistis.

Grandis est certè bonitas & misericordia Dei, qui post multiplicationem peccatorum, adhuc animas iustificat, reuertentesq; ad se benignè suscipit, fœdas abluit & debiles restaurat: Multi enim ad exemplum Filii prodigi ad Deū veniunt, qui in amaritudine acerbis doloris peccati grauiter sunt

Septem Considerationes.

vulnerati, quod ipsi etiam in consuetudine malorum suorum, in quibus supra modum peccauerunt sicut iumenta computruerunt, & sibi ipsi facti graues & tædiosi, pleni vulneribus, si ad Deum clamant, adiuuantur & recipiuntur.

Homo scilicet qui de lapsu peccati per admonitionem Spiritus sancti reuertitur in se, sic intra se ratiocinatur & dicit: Volo surgere de importabilibus peccatis, & de graui culpa mœrens ac plangens peccata mea, reuertar ad Patrem meum qui me creauit, dicam: Pater peccaui in cœlum & coram te in multis nimis abominationibus & delictis; Ideo sum & ego reus in mea perditione & in tua Maiestate, neque sum dignus, propter nequitiam cordis mei, nominari filius tuus; Sed fac mihi nunc, vt tuo redempto seruo in mercede san-

guinis

7. *pro Sabbatho.*

guinis filii tui, quia rectam hæreditatem filiorum amisi; sed pœnitentia peccata mea redimet in sanguine eiuſdem tui Filii: cæcus certè fui qui te spreui, iustitiam tuam scire nolui, & post desideria pessima ambulavi; sed adhuc in te est, clementissime Pater, vt superabundet in me gratia, in quo abundauit iniquitas: Ego malorum quæ perpetravi, memor, flebo & clamabo post te; tu me, bone Iesu, emunda suscipe & consolare, neque spernas ouem hanc tuam errabunda, pro qua in cruce posuisti animam tuam; O qui sic ad Deum reuertitur, quam blādè suscipitur, quam citò emundatur? O vos omnes qui vitia deseritis, transeuntes ad Deū per viam pœnitentiæ, attendite Christum qui in doloribus suis pro vobis perseuerauit vsq; in finem, compressus & cōculcatus in pas-

Septem Considerationes.

sione crucis sicut vva in torculari
& eius exemplo perseuerate in
via pœnitentiæ; ne si per neglectū
eam abieceritis, amplius eam inue-
nire non possitis: Aliquando enim
homo, qui secundū voluntatē
suam incessit, & timorē Dei abie-
cit, in suspiriis animæ ad hoc con-
cutitur vt opera iustitiæ incipiat,
dicens in seipso; ego miser qui mul-
tis peccatis & obligationibus præ-
peditus sum, iam in abiectione car-
naliū concupiscentiarum mali-
tiam iniquitatis relinquere, & per
contritionem ad Deum redire vo-
lo; qui tamen postea suspiriorum
illorum immemor, cum tentatio-
nibus malignorum spirituum af-
flatur, carnali concupiscentia de-
uictus, ad vomitum & iniquitatē
reuertitur; & diabolus ardorem
suggestionemq; voluptatis ita in
eo renouat & accendit, vt miser
ad

ad ea redeat quæ fleuerat ac reliquerat, & sic carnalia quæ prius illi dominabantur, desideria reuocatur; oh, non sic, ô peccator, nec incendio quod effugisti, iterum te cōmitte; ora, plora, pœnite, & vim tibi fac aliquantulum, & non derit tibi Deus, sed citò veniet, & lachrymas tuas absterget, & peccati iugo excusso, iugum suum tibi suaue & onus leue faciet experiri; Ipsi laus & gloria in sæcula Amen.

DE FINALI POENITENTIA, & magna Dei misericordia in receptione peccatorum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

OMNE peccatum quod in superfluitate carnis, aut cum libidine, cum amaritudine, aut aliis similibus vi iis peractum fuerit, quin & inuocatio Dæmonorum,

Septem Considerationes.

vbi in peruersitate hominum diabolus inuocatur; hæc omnia in pura pœnitentia remittuntur, hominibus cum per compunctionem lachrymarum ex intimo corde verum Deum omnibus se inuocantibus misericordiam præstantem fideliter quæsierint: quoniam, quamuis huiusmodi homines grauius in peccatis errando delinquant; tamen si Deum imperio & potestate in cœlis regnantem omnino non abiiciunt, manum auxilii eius quærentes inuenient: Sed si in infidelitate sua perseuerauerint, ita ut ab hac peruersitate nunquam resipiscant, sed fixo corde & anima consentiente Deum omnino abnegent, & à Deo adiuuari non vellint, vel impœnitentes, vilo se modo saluari, aut à peccatis mundari diffidant; in hac nequitia obdurationi suæ si perseuerant, ad
vitam

vitam non peruenient, quia illi qui vitam dant, contradicunt, neque peccatorum remissionem accipient, quia intellectum cordis sui ita suffocant, quod sursum suspirare non valēt, quoniam illum per cuius misericordiam saluari deberent, contemnunt, & quasi nihilum habent.

Qui autem ex his impœnitentia reuerti voluerint, & Deum creatorem puro corde quesierint, etiã si in extremitate cursus sui venerint, Deus tamē eos suscipiet, quia cuncta iustē iudicat: at qui thesaurum cordis sui subtrahēdo abscondit dicens, nisi sentiam me moriturum, à peccatis nō abstinebo, & à secularibus causis me non conuertam, & ita conuersionem suã vsq; ad expirationem animæ suæ differt; & cum iam amplius spirare non valet, diutius præsentem

Septem Considerationes.

se posse habere desperans, sæculo renunciarētentat, hic animam suam decipit, quoniam conuersio eius deceptibilis est; hoc ludificando fecit, vt ludificatio etiam accipitur: ille verò qui iam morti proximus toto corde propter peccata sua & propter amorem Dei pœnituerit, aut sæculo renunciauerit scilicet quamdiu uiuat, Deo ardēter seruire desiderans verè deuotionem eius cum omnibus choris Angelorum Deus suscipit, & ei gloriā vitæ tribuit: Nam hoc simplici oculo facit, quia Deum ad iracundiam prouocauit; quapropter Deum eum à morte ad saluationem erigit, nec ei supernam hereditatem denegat: Et quoties in operibus iniquitatis peccator seipsum damnat & reprimat, & lachrymo se post Deum clamat, subito exaudit illum Deus, & remedium

dium peccatorum suorum inuenit, quoniam peccata sua deseruit, & ideo per oculum pœnitentiæ cognoscet & videbit, quod illa vana fuerunt, quæ prius ardenter in mala concupiscentia perpetravit: Quapropter nemo negligat remedium pœnitentiæ quærere; & qui illa sanus in corpore neglexit, adhuc studeat, vt eam vel in extremo tempore suo inueniat, & ad saluationem Deus eum suscipiet; quoniam, quâuis sordes eius magnæ sunt, cum tamen pura pœnitentia abluuntur in sanguine Christi, cuius maior & bonitas & misericordia quàm sit aut esse possit vniuersa iniquitas nostra.

Dixit Dominus ad Beatum Mechtildem: Sicut hostiam in ara crucis me obtuli; sic adhuc eodẽ amoris affectu assisto Deo Patri cœlesti, pro peccatoribus, omnia ge-

Septem Considerationes.

nera passionis meæ repræsentans; & hoc maximè mihi desiderabile est, vt peccator per pœnitentiã veram ad me conuertatur & uiuat; Peccator quamdiu in peccatis est, me velut in cruce distentũ vinculat; sed mox cum per pœnitentiam ad me reuertitur, continuo me absoluit, & ego cum gratia & misericordia mea quasi de cruce solutus totus super eũ ruo, sicut olim supra Ioseph, cum me de cruce solueret, cecidi; meque ipsum totum in potestatem eius do, vt de me omnia quæ voluerit, facere possit: quod si verò in peccatis perseuerauerit, iustitia mea super eum potestatem habebit, quæ tunc eum secundum quod meruit, iudicabit.

Nullius vnquam peccatoris corex peccatorũ rubigine adeo aruit, si aliquem dolorem vel in-

7. pro Sabbatho.

firmitatem corporis, quamuis etiam parua pertulerit tali intentione, quod pro amore & laude nominis mei maiorem libenter sustinere proponeret dolorem, si mihi id placeret, quin ipsa hora ex tali deliberatione reuirefcat, ac gratiæ meæ diuinæ ex tunc capax efficiatur: Item addo, quod nullus peccator adeò magnus est, si verè pœnituerit, quin ipsa hora illi omnia peccata sua plene dimittā, ac cum tanta clementia & dulcedine cor meum super ipsum reclino, ac si nunquam peccasset: Sed hoc frequenter homo minimè fētit, quia interiorem peccati gustū nondum amisit: Veruntamen si homo post pœnitentiam tam viriliter vitiis resisteret, vt omnem peccati gustum & delectationem penitus extirparet, procul dubio Spiritus diuini suauitatem senti-

Septem Considerationes.

ret. O verè altitudo inscrutabilis sapientiæ & misericordiæ tuæ dulcissime Deus, qui tam miris & multis modis attrahere conaris tibi cor peccatoris, vt nullus ei iam detur locus desperationis, quem tanta subsequitur clementia paternæ reuocationis. Tibi sit laus, tibi honor & gloria in sæcula Amen.



Pierwsze Arkuse opiewu

ne na koncu

DE MEDITATI-
one Mentali.

Quid est Mentalis Meditatio?

EST ad Deum mentis eleuatio, & cordialis affectus erga Deum Creatorem, redemptorem, enutritorem, benefactoremq; suum sicut vltimi finis sui, ad quē creatus est homo amorisq; intensui commotio.

Ad 2 Partes.

Meditatio hæc diuiditur:

Vna, in qua per septem noctes hebdomadis singulis absoluitur. Altera, in qua diebus festiuis certis perficitur.

Tempus verò Meditationis huius:

Aliqui post primum somnum noctis. Alii verò, vt potè Venerandi Patres Iesuitæ, huius sancti Ex-

De meditatione

exercitii autores præcipui in singulis noctibus sine intermissione in diluculo obseruare solent, quam vsus & consuetudo huius exercitii docere potest.

Modus autem huius sancti Exercitij mentalis Meditationis obseruatur:

Primum.

Describenda vel perlegenda est eundo cubitum aliquoties meditatio, antequam noctu, vel in diluculo erit assumenda; deinde post primum somnum aliquot horis surgendum, & veste aliqua induta statim memoria refricanda est maiestas horrenda & adoranda diuina Dei omnipotentis, circumstantibus tot millibus Angelorum, Prophetarū, Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, Sanctarum, & Patronorum meorū: Coram qua Maiestate tremenda iam iam mihi veniendum est,

Mentali.

est, cum precibus & meditationibus meis, humilitatem, vilitatem, impuritatem, nuditatem, & ex his infelicitatem nihilq; aliud nisi indignitatem meam, & ingratitude[m] sub pedes diuinæ maiestatis & tremendę cum negligentis & culpis meis mortiferis offerendo.

Demum iterum hanc omnem ac integram meditationem (flexis genibus) quam vesperi legit, noctu perlegat, aut etiam per puncta, & statim amota candela eleuatis & sursum clausis oculis & manibus compositis, siue elatis meditetur intensiue sine vlla distractione ad alia, & si aliquid aliud occurrat, mox ad metā intentionis redeundo, &c.

Hæc autem meditatio vnus horæ spatio durare debet omnia puncta meditationis & singula verba, & ipsa materia meditationis cum

De meditatione

circumstantiis bene perpenſa. Idq; per noctes & dies ſingulos hebdomadæ non negligendo. Orationes vocales, cum exclamationibus, & inſpirationibus eiaculatoriis pro ut diuini Spiritus gratia inſpirauerit, & ex profundis ſecretis miſericordiæ diuinæ & iudiciorum ſapientiæ ſuæ meditantem compoſuerit & ardentem cordialemq; affectum erga ſuauiſſimum IESVM & pacificum enutritorem ſuum diſpoſuerit.

Additiones ad exercitia melius agenda &c.

Prima additio.

Vt ego poſt cubitum ante ſomnum modico temporis ſpatio, quo recitaretur ſemel angelica ſalutatio cogitem de hora qua ſurgendū mihi erit, & de exercitio faciendo.

Secunda.

Vt

Mentali.

Vt expergefactus ftatim exclusis omnibus aliis cogitationibus animum ad illud applicē, quod in primo mediæ noctis exercitio contēplaturus sū: vtq; maioris verecundiæ & confufionis gratia exemplū mihi huiusmodi proponam.

Quomodo miles qui si a staret coram Rege suo, & cætum aliquo erubescens anxius confususque in Regem ipsum acceptis prius beneficiis donisque plurimis ac magnis, grauiterque deliquisse conuictus esset.

In secundo itidem exercitio reputans quantum peccauerim, fingam me catenis vinctum esse, ac protinus sistendum corā summo iudice, sicut mortis reus quispiam ferreis ligatus compedibus, duci ad tribunal solet.

His igitur vel aliis pro meditando rerum genere cogitationi-

O



De meditatione

bus imbutus, vestitu meo me indu-
am. *Tertia.*

Vt loco futuræ meditationis vno
vel gemino adhuc passu distans
per tantillum tempus quo percur-
ri Dominica oratio posset, animo
sursum eleuato considerẽ Domi-
num meum IESVM vt præsentem
expectantem quidnam acturus sũ
cui reuerentiam cum humili gestu
exhibere debeam.

Quarta.

Vt ipsam aggrediar contempla-
tionem, quam nunc prostratus sũ
& pronus, aut supinus iacens nũc
sedens aut stans, & eo me compo-
nens modo, quo sperem facilius
me id consequi quod opto, vbi ad-
uertit hæc duo debent. Primum,
Quod (si flexis genibus) vel in alio
quouis situ voti compos fiam, ni-
hil requirã vltra. Secundum, quod
in punctu in quo allecutus fuero,

que

Memor.

quæsitum deuotione conuiuere debeo, siue tranſcurrendi anxietate, donec mihi ſatiſfecero.

Quinta.

Vt completo exercitio ſedens, vel deambulans per quartam circiter horæ partem, mihi deſpiciam, quoniam modo meditatio ſeu contemplatio mihi ſucceſſerit. Et ſi quid male, inquiram cauſam cum pænitudine ac emendationis propoſito, ſeu verò benè gratias Deo meo agam eadem poſt modum obſeruaturus.

Sexta.

Vt cogitationes quæ gaudium afferunt, qualiſ eſt de glorioſa reſurrectione ſubterfugiam; quoniã taliſ quælibet cogitatio impedit fletum & dolorem de peccatis meis, qui tunc quærendus eſt, adſcita potiùs mortis & iudicii recordatione.

De meditatione

Septima,

Vt eandem ob causam omni
me opprimem claritate, ianuis, &
fenestris clausis, tantisq; dum illic
moror, nisi quàm diu legendum
aut vescendum erit.

Octava.

Vt à risu verbisq; risum prouo
cantibus maximè abstineam.

Nona.

Vt in neminem oculos intendā
nisi salutandi, & valedicendi
poscat occasio.



DISPOSITIO
meditationum per totam
hebdomadam.

Die Dominico.

Creatus est homo in eum finem,
vt Dominum Deum suum co-
gnoscat, cognoscendo laudet &
reueretur: ex toto corde, viribus
& anima diligat, eiq; seruiens per
hoc saluus fiat.

Reliqua verò supra terram sita,
creata sunt hominis ipsius causa,
vt eum ad finem creationis suæ
prosequendum iuuent.

Vnde sequitur vtendum illis,
vel abstinendū ea tenus esse, qua-
tenus ad prosequutionē finis, vel
conferunt, vel obsunt.

Quapropter debemus absq; dif-
ferentia nos habere, circa res crea-
tas omnes / prout libertati arbitrii

Meditationes

noſtri ſubiectæ ſunt, & non prohibi-
bitæ) ita vt quod in nobis eſt, non
quæramus ſanitatē magis quam
ægritudinē: neque diuitias pau-
pertati, honorem contemptui, vi-
tam longam breui præferamus.
Sed contentaneū eſt ex omnibus,
ea demum, quæ ad finem ducunt
eligere & deſiderare.

*Exercitia ad timorem Dei & præſer-
uationem à peccatis conducentia.*

Quorum primum eſt de fine noſtro.

Valde nobis eſt per omnem vi-
tam neceſſaria cognitio finis no-
ſtri, quæ particulariter nos ad pæ-
nitentiā, timorem Dei, & confe-
quenter ad alias virtutes diſponit

Oratio præparatoria.

Primum Punctum.

Conſiderandum eſt, quem in-
finem creauit nos Deus, & conſer-
uat hactenus in hoc mundo, ſcili-
cet, ad honorem, & obſequium ſu-

pro die Dominico.

um, vti beatitudinē consequamur. *Secundum.*

Quem etiam in finem concessit nobis Deus, vti sum aliarum creaturarum, scilicet sic adiuuamur, ad finem consequendum.

Tertium.

Considerare quomodo hactenus ambulauimus, versus hunc finem nostrum, & quomodo propter illum vti sumus creaturis.

Quartum.

Postulanda gratia, quo deinceps versus finem nostrum melius progrediamur, & creaturis concessis melius vtamur ad salutem nostram & Dei gloriam.

In fine dicitur Pater noster Aue Mari.

MEDITATIO DE BENEFICIO creationis.

Oratio preparatoria.

Primum Punctum Preludii.

Imaginarete esse rusticum quē

Meditationes

dam, ad summos tamen honores à Rege euectum, ideòq; genu flexū astantem, vt aliquo modo agas gratias.

Secundum.

Repetes gratiam cognoscendi benè, quanta in te contulerit Dominus beneficia.

Primum Punctum.

Perpende beneficium creationis & omnia quæ sub ipso continentur, puta quod cum ante annos 50 aut 60 nihil esses, vel fueris quicquam ab æterno, neq; illa tui in mundo esset necessitas; ipse tamen pro sua immensa bonitate te ex illo nihilo, in quo eras eruerit, nec qualemcumque ipse dedit, non enim te lapidem dedit ac fecit; non arborem, non equum &c. sed hominem quo nihil est dignius sub Angelis. Cogita si saperet lapis quā cuperet te esse arborem, & cresce-

ret

pro die Dominico.

ret viresceret, frondesq; ediret flores ac fructus, sed si arbor saperet, quam cuperet esse animal, vt videre, audire, pascere se posset, & ambulare quo vellet. At si animal saperet, quantopere se expeteret hominem esse, vt super hæc omnia rationis fieret particeps, nunc cogita tibi hæc omnia gratis a Deo esse elargitã. Cognosce igitur o homo dignitatem tuam, & benefactori tuo gratias age.

Secundum.

Considera beneficium corporis cui nobilissimi tot membris, & organis distincti, tam bene proportionati, tamq; bona temperie ac cõplexibus prodi. Ad cuius conseruationem tam multa Deus misericors ordinauit: alia enim dant cibũ alia potum, alia vestitum, alia ornatum, alia medicinam, alia recreationem, deniq; omnia quæ super

pro die Dominico.

cœlos sunt, hæc tuo corpori infer-
uiunt.

Cogita si post amissum oculorū
vel aurium nasum aliquis Medi-
cus peritissimus tibi illum restitue-
ret. Et si chirurgus aliquis oculum
erutum, narem abscissam, vel ma-
num mutilam tibi restituerit, quā
deuinctum, & obnoxium illi se se-
tires, & quid pro ipso non feceris.

Ex his verò collige, quid pro Dei
gloria facere tenearis, qui vtrāq; au-
rē, vtrumq; oculū, vtramq; manū,
& omnia deniq; membra integra
tibi donauit. Nec voluit te vnū esse
ex iis, qui vel paralytici, vel cœci,
vel claudi, vel surdi & muti, nascē-
tur, quare huic largitori tuo quā-
tas potes gratias age.

Tertium.

Considera beneficium animæ
rationalis tibi concessit, qua simili-
tudinem Dei geris, & Angelorum

&

pro die Dominico.

& qua es capax gloriæ æternæ, quæ est immortalis, & incorruptibilis, cogita eius potentias.

Memoriam.

Qua omnium præteritorum potes meminisse.

Intellectum.

Quo Deum ipsum, & omnia creata intelligere, & cognoscere potes.

Voluntatem.

Adeò liberam, & possis velle, quicquid libet: nec quisquam cogere eam potest. Præterea illa Deum hinc super omnia amari, ut eo illic in æternum perfruaris.

Quartum.

Considera finem eiusmodi creationis tuæ, qui quidem non est alius, nisi ut tu vicissim Deum creatorem tuum ex toto corde, tota anima, tota mente, & omnibus viribus tuis ames, quia totum te,

Meditationes

quantus es creauit. Si enim parentibus secundum Aristotelem modo possumus reddere æquiualens qui corpus genuerunt, quomodo poterimus Deo, qui totum hominē condidit?

Deum requirunt hæc omnia tibi præstita, vt omni humilitate, & pietate Deo seruias, obsequendo eius, & Ecclesiæ sponsæ suæ mandatis, vt eum perpetuo colas, laudes & glorifices.

Si enim veteri testamento vix illud beneficium populo Israelitico contulit, quod non voluerit anniuersaria, & sollenni recolimemoria. Quid non exigit à nobis, pro hoc beneficio creationis immenso nobis præstito: quo non solum ad imaginem suam nos condidit, sed animā immortalem imperitiit, vt immortalibus bonis aliquando frueretur.

Vnde

pro die Dominico.

Vnde rectè quidam sanctus concludit hominem, non toties respirare, quoties tenetur Dei sui recordari. Sicut enim ipse semper est, ita debere Deo semper gratias agere, pro immortalitate, quòd ab eo accepit.

Ex his in colloquium prorumpam cum æterno Patre, dolens primum de ingratitude mea quòd videlicet hactenus non perpenderit, quodq; nunquam gratias egerim, & quòd peius est, tam sæpe iis Dei donis in contumeliam creatoris abusus fui.

Petam igitur veniam, & nunc agam gratias proponamq; acturum viam.

In fine addatur Psalmus.

Benedic anima mea Dominum & omnia quæ &c.

Dicitur Pater noster. & Ave Maria

Meditationes

DE BENEFICIO RE-
demptionis.

Oratio preparatoria & praeludia eadē.

Primum.

Confidera , quomodo Deus sic te dilexerit, licet sibi inimicum, vt filium suum vnigenitum daret pro te, daret autem non qualicumque modo, sed pro te rapiendum, ligandum, conspuendum, flagellandū, irridendum, damnandum, ac denique crucifigendum.

Finge hic te ob tua facinora in carcerem, à Rege coniectum: filiū autem Regis miseratione commotum ingressum carcerē, sibi suum habitum dedisse, sumpto tuo, vt sic emittens te à carcere, ipse ignotus pro te supplicium subiret.

O quas gratias digne agere poteris, pro tot misericordiis tibi exhibitis.

Secundum.

Expende diligenter non quomo-

do

Meditationes

docunq; te esse redemptū, sed perfectissime. Poterat enim Deus, sola voluntate, verbo, vel nutu, antequam fieret homo nos redimere, sicut vno verbo creauit, & factus homo poterat, vna oratione, vno gemitu, vna gutta sanguinis etiam in Circumcisione sua profusa, totū genus humanum redimere, sed voluit totius sāguinis effusione, passioneque omnium acerbissima, & ignominiosissima redimere. Deinde redemptionis modus fiet acerbissimus, adeò vt ipsi in horto oranti, sola cogitatio futurorum cruciatuum, sudorem sanguineum toto corpore expresserit, flagris sic cōcissus, colaphis contusus, sputisq; oppletus est, vt videretur leprosus manus, pedesq; clavis ocluis confossis, caput spinarum aculeis per cranium transfixum. Et super hęc trabem cruris ipse suis humeris cō-

Meditationes

uulneratus gestare coactus est :
sed supra vires, quia sub onere
corrui. Deinde cogita quam igno-
miniosa fuerit tota passio, Primò
enim à proprio discipulo prodi-
tus. Deinde funibus, & catenis per
vias in habitu alieno, velut stultus
pertractus per ludibrium, tanquã
Rex adoratus Barabbæ latroni,
post habitus in medio latronum,
velut sceleratissimus; crucifixus,
& in ipsa cruce variis conciliis la-
cessitus.

Tertium.

Considera à quantis malis sit re-
demptus, 1. enim redemptus ac a
peccatis quorũ tanta est grauitas,
vt expiari non potuerint, nisi san-
guine filii Dei, 2. à perpetua tyran-
nide, & seruitute diaboli cui per
peccatum eras mancipatus, 3. ab
igne æterno, diabolo, & angelis e-
ius parato.

Quar-

pro die Dominico.

Quartum.

Considera quanta bona hominibus ex hac redemptione consecuta sint.

1. Enim ex illo diaboli, factus est filius Dei.

2. Ex hærede perpetuę damnationis, factus est hæres æterni regni.

3. Factus es particeps gratiæ, & amicitia Dei, omniumq; donorum spiritualium.

4. Ut si in peccata vetera relaberis, iterum possis per pænitiã in gratiam restitui.

5. Ut in gratia existens merearis augere gratiam, & vitam æternam.

6. Ut suscipias fontem gratiæ nēpe in sacratissima Eucharistia, ac etiam pro tot beneficiis a Deo acceptis dignum aliquid reddas, Patri cælesti eundem offeras, quod fit in Sacrificio Missæ.

Colloquium institue cum Chri-

Meditationes

sto Domino, cum si illum in cruce
pendentem intuereris agens grati
as pro deuotionis motu.

DE BENEFICIIS PARTI-
cularibus cuique propriis.

*Oratio preparatoria, & preludia
solita.*

Primum Punctum.

Considera, si quæ peculiaria à
Deo beneficia tibi tota vita tum
contigerint, quæ non sunt aliis eti-
am Catholicis, inter quos vixisti
communiter, siue sint naturæ, siue
fortunæ, siue gratiæ.

Naturæ & fortuna esse possunt hæc.

Quod infans non sis in vtero
materno extinctus. Quod non sis
natus ex parentibus infirmibus,
illegitimis, infectis morbo, mendi-
cis, ignobilibus, latronibus.

Quod à parentibus piis ab infan-
tia educatus, & ab iisdem Pædago-

gis

pro die Dominico.

gis, Magistrisq; Catholicis, ac probi traditus, & instruendus.

Quod seueriore disciplina domestica, & scholastica fueris à societate petulantium, lasciuiorumq; puerorum, & à variis petulantibus abstractus. *Secundum.*

Expende beneficia particularia gratiæ, maxime post annos pueriles. Quod tibi Præceptores obtigerunt docti, & pii, qui simul veram pietatem Christianam cum litteris instillarint. Quod occasiones habueris multas, conciones, & exhortationes audiendi. Quod ad eas scholas, Academias, hominumq; piorum sedulitates perueneris, in quibus frequens est vsus Sacramentorum Confessionis, Eucharistiæ, vbi multa præclara exempla verè pietatis, publice priuatimq; cernuntur, vbi nulla est iuuentutis vanitas & dissolutio, vbi summa erga

Meditationes

præceptores obedientia, & obseruantia. Postquam autē vir factus euacuasti, eaq; erant paruuli, singularis Dei gratia tibi affluit, dum in eiusmodi verbi Dei patronos in ædibus, quite ad bonū inflamment, & a malo auocarent. Dum talem instructiorem copiam habebis, qui te consiliis suis ad frequentationem Sacratissimorum Sacramentorum, ad detestationem peccatorum, ad virtutum solidarum studium, ad diuina mysteria recolenda accenderent, suaq; honesta conuersatione piisq; exemplis ad omnia bona facem præferrent.

Tertium.

Considera alia beneficia magis arcana & occulta, tibiq; omnino propria. v. g. Si à societate malorū singulari gratia abstractus es. Si ex fordibus grauis alicuius peccati, in quo diu hæseras, emerferis. Si à

peri-

pro die Dominico.

periculo singulari, vel animi, vel corporis liberatus, à naufragio, à morte post lethalia vulnera, à grauiſſima tentatione, v. g. ſe necandi, vel ab aliis periculis tibi ignotis.

Quis enim ſcit à quantis tentationibus te Deus præſeruauit, à quot occaſionibus peccandi, quoties laqueos inimici in via exiſtentis ruperit, ne illis implicareris?

Quare ſicut pro occultis peccatis quotidie oras cū propheta, ſic.

Pſalmo 18. Ab occultis meis Domine munda me, ita & pro occultis beneficiis iſtis debes gratias agere.

Oratio.

O Deus miſericors, quid eſt homo, quòd ſic magnificas eum, aut quid apponis erga eum cortuum, Angelis tuis mandaſti, vt cuſtodiant me in omnibus viis meis, ne forte offendam ad lapidem pedem meum.

Meditationes

Pone Domine cor meum intra tuum, & ostendemihitui magnitudinem amoris, faciens me vnum tecum, vt te diligam, sicut me tu diligis.

Et illud *Isa. 63.* Laudem dicam Domino super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, & super multitudinem bonorum domui Israel quæ largitus est ei secundum indulgentiam suam.

Et S. Bernardus dicebat: nulla Dei dona præteriri à nobis debere absq; gratitudine, & laude, non grandia, non mediocra, non pusilla, quia pusilla sunt infinita numero, & quamuis aliquorum comparatione sint parua, aliis tamen nominibus eadem sunt maxima.

Pater noster qui es in cælis. &

Aue Maria. &c.

Poteris & hoc colloquii loco deuotissime ad Deum fundere.

Ora-

pro die Dominico.

Oratio.

Suscipe Domine vniuersam meam libertatem, accipe memoriam, intellectum, atq; voluntatem meam, quidcunq; habeo vel possideo mihi largitus es, id totum tibi restituo, & me tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tuum solum cum gratia tua mihi dones, & diues sum satis, nec aliud quicquam vltra posco.

FERIA SECUNDA.

De Meditatione mortis.

Post orationem præparatoriam, pete gratiam ad bene meditandū de morte, quo meliùs te ad illam præpares.

Primum Punctum.

Attende quomodo mors est in-
cuiabilis omnibus creaturis; hora
verò incerta, vt qui mane surgit,
polliceri sibi non possit vesperum:

&

Meditationes

& qui vadit cubitum, nescit an sit
visurus mane.

Secundum.

In morte omnia maximè desi-
derabilia, summis laboribus, solici-
tudinibus, & periculis parta, sunt
relinquenda. Nec alios comites su-
mus habituri, quam mala, & bona
opera nostra.

Tertium.

Considera quo pacto illa hora,
omnes sensus nostri, & intellectus
tot doloribus, & vi morbi ita præ-
occupabuntur, quod vix spiritu-
alibus rebus, exercitati viri quid-
quam boni possint cogitare. Potē-
tissime etiam tunc diabolus homi-
nem oppugnat, terret quoque De-
us, coram cuius oculis breui ap-
parebit de tota præterita vita, stri-
ctissimam rationem redditurus.

Quartum.

Conuerte te ad Christum, & ro-

ga,

pro Feria II.

ga, det tibi gratiam, qua taliter te disponas, vt securus mortem possis expectare.

Concludes demū oratione Dominica & Angelica salutatione.

DE IUDICIO TREMENDO.

Oratione præparatoria postulas gratiam, iudicium vniuersale, & particulare, ita considerandum quo totus cum Sancto timore vacare possis puritati.

Primum punctum.

Cogita diligenter quomodo omnia nostra opera, verba, & cogitationes, omnibus mortalibus, & Angelis manifestabuntur, & reddenda nobis sit ratio de omnibus donis naturalibus, animæ & corporis, spiritualibus quoq; scilicet virtutibus infusis, & acquisitis, de omnibus demum locis externis & facultatibus.

Secundum.

R

Expen.

Meditationes

Expendenda nobis est illa sententia Iudicis, tanti ponderis, & momenti, cuius virtute, vel gloriā sempiternam, vel miseriam perpetuam reportabimus, secundum quod benè, vel malè egerimus in hac vita. *Tertium.*

Iudex erit inflexibilis, eo quod sit summe rectus, & iustus, à cuius facie nemo poterit fugere, nemo illi resistere cùm sit omnipotens, nihil illi ob summā sapientiam potest esse occultum. Idem Iudex qui nec minimum verbum in discussū nec malum impunitum prætermittet: erit etiam pars læsa cum omnia peccata contra illum pugnent.

Quartum..

Recordare quod in illo iudicio rigidissima & seuerissima exercebitur iustitia, vbi plurimos habebis accusatores, & amicum nullū si hic in peccato mortali discedes,

Vide

pro Feria II.

Vide quid tibi erit faciendum, de tot criminibus læsę maiestatis conuicto, in hac vita locus est adhuc misericordię, ad illam igitur confugas, & ad Christum Mediator e. *Et tandem Oratione concludes exercitium.*

DE INFERN O.

Oratione præparatoria postulas gratiam, qua intime cognosces & penetres pænas, quas patiuntur damnati, vt saltem timore, si amor non sufficit, à peccando arcearis.

Primum Punctum.

Pone tibi ob oculos imaginatiõis longitudinem, latitudinem, & profunditatem inferni. Imaginare te cernere ardentissimas flammam inferni, ad quas animæ sint colligatę, sicut & post iudicium erunt corpora.

Secundum.

Imaginaberis te audire lamen.

Meditationes

ationes, luctum, planctum, & horribiles damnatorum vociferationes, blasphemias quoque execrabiles. *Tertium.*

Finge te sentire saporem eorum amarissimorum, famem, sitim, rancorem & vermē conscientiae mordacissimum.

Quartum.

Considera voracissimas flammās, quibus animae cruciantur.

Quintum.

Imaginare te olfacere fumum inferni sulphur, & intollerabilem fetorem, qui ibi erit ex omnibus mundi facibus congregatis.

Sextum.

Considera quomodo illi omnes, qui non credebant, vel vitam non egerunt fidei conformem, & ante & post Christi aduentum, ad inferni poenas sunt damnati.

Quare age gratias Deo Omnipoten-

pro Feria II.

*ti, quod hætenus te conseruarit, ne
intantam miseriam incideres.*

*Eius demum postulabis misericordi-
am, & concludes oratione Dominica
& salutatione Angelica.*

DE PRESERVATIONE
à peccato, cum tentationes nos
maxime premunt in peccando.

*Cum te inuadit cogitatio, quæ ad pec-
candum trahit, & inducit.*

Primum.

Eleua mentem ad consideran-
dum, quid Christus Dominus fecit,
& passus est, quo nos à peccato
distraheret & elongaret, verbi gra-
tia, quātum se humiliavit, vt mor-
tificaret in nobis appetitum homi-
nis voluptatem. *Secundum.*

Imaginare Christum qua si præ-
sentem & rogantem te, ne denuo
renoues eius plagas, vulnera & in-
jurias illi factas, ne iterum spargas

Meditationes

sanguinem, qui pro te fusus semel est, neue consētiendo tentationi perdas, quòd ipse tanto emit pretio: Hæc verba poteris considerare, vel Christi amantis, vel imitantis, quemadmodum quilibet plus se sentiet affici & moueri.

Tertium.

Considera eundem Christum, tanquam fortissimum, & potentissimum adiutorem, qui promptissimus est, ad tibi opem ferendā, dum modo tibi ipse diffidens, & illi soli confidens, postules eius auxilium.

Quartum.

Concepta fiducia vertas te ad IESVM, de nouo per orationem obseruabis, vt te defendat per misericordiam, charitatem suam, & per omnia merita suæ humanitatis, & omnium Sanctorum.

FERIA TERTIA.

De eodem se mota etiam tentatione.

Primum Punctum.

Considera Christum Dominum
(sicut antea) tibi assistentem, & om-
nibus tuis actionibus præsentissi-
mum.

Secundum.

Considera illum sicut testem, Iu-
dicem, remuneratorem, & castiga-
torem omnium nostrorum operū
& cogitationum.

Tertium.

Considera illum tanquam sum-
mum Dominum & parentem, cu-
ius charitati, & beneficentiæ ma-
xime sumus obligati. Plurimū istæ
considerationes iuuabunt, vt si-
mus solliciti & cauti, ne illum offē-
damus. Harum etiam memoria fre-
quenter est exercenda.

Tandem concludes oratione.

Meditationes

DE EXTIRPANDIS VITIIS, quæ nos magis molestant.

Fiat oratio preparatoria specialiter contra illud vitium, quod volumus eradicare.

Primum Punctum.

Eleua mentem ad considerandum, tanquam Christus monstraret, quæ particulariter tibi contulit beneficia, & quanta passus est, quo te à tali vitio mundaret, & quam sis obligatus ad illud fugiendum.

Secundum.

Verte deinde considerationem erga te ipsum, & vide quem effectum in te fecerit passio Christi. Cognita deinde feditate talis vitii, & periculo cadendi in peccata, quæ quantum in nobis est, iterum Christum in crucem agant, cum pudore & desiderio, quo liberemur tali vitio, præsentabimus defectum nostrum in Dei conspectu.

Ter-

Excitabimus in nobis spem ac fiducia, considerando quod Christus Mediator noster ad nos mundandos venerit in hunc mundum, & quod nobis reliquerit amoris argumenta, & quod idem tanquam Omnipotens, & benignissimus Deus promiserit nos exaudire in omnibus licitis rebus, & plenam fiduciam præbuerit.

Atq; ita concludemus oratione aduocatis omnibus Sanctis.

DE NECESSITATE MALOS habitus tollendi.

I. Præludium erit, proponere sibi ante oculos Christum Beatorum agminibus triumphantium stipatum, vndiq; nosq; ad pugnam alacriter ac fortiter contra malos habitus suscipiendam adhortantem; quia Regnum cælorū vim patitur, & violenti rapiunt illud: ac simul suam opem benigne promittentē.

Meditationes

Ex quo intelligamus, vt mortalis imperatoris milites ab ipso armis instructi, & adhortatione incensi in vrbis ac Regni alicuius expugnatione, strenue elaborant: ita nobis laborandum esse in expugnatione vitiorum.

II. Præludium erit, petere lumen quo cognita necessitate gratiæ nobis ad vitia extirpanda, necessariè in eius cupiditate tanto magis inardescamus.

Primum Punctum.

Considera, quod gratia diuina, quæ culpas tollit, non simul etiam ex consuetudine peccandi contractam ad eadem peccata propensionem, ac malos habitus tollat; idcirco in sublatis criminibus in corroborando, & confirmando animo, tolleranda sedulò opera est alioqui nunquam perfectã assequimur virtutem, sed similes erimus

pro Feria III.

ægroto ex graui morbo conuale-
fcenti, qui nisi valetudinem confir-
met, ad negotia quæuis gerenda in-
eptus esset.

At quæ est stultitia, sanitatem
non velle optimam recuperare
cum possis.

Secundum.

Qui negligit absolutam vitiorum
victoriam, incidet facillimè in plu-
rima alia vitia, præsertim cùm tam
periculis multis in mundo inter
mundanos degentes simus exposi-
ti. Ex qua consideratione timoris
actus elici potest mente ad nostrâ
negligentiam reflexa.

Tertium.

Qui animo expurgando dat o-
peram, illi gratia diuina augetur.
Quemadmodum herbæ bonæ ma-
gis crescunt, cùm malæ stirpitis e-
uelluntur.

Meditationes

Hinc proponenda emendatio.

Quartum.

Gratia diuina quæ nobis pulsis peccatis lethalibus conceditur tãquam semen quoddam virtutem continet, per quam relicta post peccatũ vitia superare possimus. Quare ea virtus, nisi ea vtamur, quantum in nobis est perit. Hic animus ad spem victoriæ erigendus.

Quintum.

Eam gratiam cum tot laboribus nobis Christus promeruerit cogitandum est ipsi Christo iniuriam fieri nisi vtamur. Non aliter ac si medicamentum summo studio, & labore apparatus summi pretii ac virtutis quispiam ægrotus despiceret. Atq; hic nos ipsos penitus diuinæ voluntati & gratiæ offeramus.

DE EXAMINE PAR-
ticulari.

*Contra speciale aliquod vitium, quod
ter quotidie faciendum est.*

Primum enim matutino tempore, quando surgis propones diligenter cauere tale vitium, aut peccatum particulare, à quo desideras liberari.

Secundum, tempus erit post prandium, quando primo rogabis Deum, vt concedat tibi gratiam recordandi, quoties in illud vitium lapsus sis. Secundo, Discurre per omnes temporis partes à matutino vsq; ad præsentem horam, & examina quoties cecideris, notabisq; numerum, in prima linea figuræ subscriptæ. Tertio, Propones de nouo emendationem.

Tertium tempus est post cænam, quâdo procedes simili modo, sicut ante notato in secūda linea nume-

Meditationes

ro quoties lapsus sis, inter præcedens tempus pomeridianum, & hoc vespertinum. Ad hoc multu iuuabit, si quando interdum recorderis cecidisse in tale peccatum, peccatus percusseris & dolueris. Conferas deinde hoc vespertino examine numerum cum numero præcedentis examinis post prandium. Et postero die lapsus illius diei cum lapsibus præcedentis diei. Et consequenter lapsus vnus septimanæ, cum lapsibus præcedentis septimanæ.

Talis enim sollicitudo multu iuuabit ad vitandum talem defectum seu vitium.

NUMERVS EXAMI-
nis in linea ordine
positus.

1. Dom: IIII.

2. Lunæ IIII.

3. Mar: IIII.

4. Mer:

5. Iou:

6. Ven

7. Sab:

Quemlibet diem in hac linea
notabis.

FERIA QVARTA.

MEDITATIO DE EFFECTIBUS mortalium peccatorum.

Primum Punctum.

Oratio precipua cum solitis Præludijs.

Considera animam tuam ad imaginem & similitudinem Dei cōditam, dum perseuerat in gratia, & amicitia Dei tam splendidam esse, totq; donis spiritualibus ornatam, vt Creator ipsius delectetur habitare in illa. At verò postquam in peccatum mortale consenserit, tum spurcam & abominabilem reddi: vt peccator, si copia ei videndi daretur, aspicere eā præ honore non possit: nam omnibus beneficiis spoliatur, & quam plurimis malis obruitur.

Quod ad beneficia attinet.

I. Deus ab ea recedit.

2. Per-

pro Feria IIII.

2. Perdit eius gratiam, & amicitiam.
3. Familiaritatem Spiritus sancti.
4. Participationem meritorum Christi.
5. Paternam Dei prouidentiam.
6. Virtutes infusas, & dona Spiritus sancti.
7. Pignus regni cœlestis.
8. Communionem bonorum Ecclesiæ.
9. Pacem & securitatem conscientia.
10. Merita, & fructum omnium operum bonorum, ipsamque vitam æternam.

Secundum.

Expende, quanta mala adferat consensus in idem peccatum.

1. Quod Dei odium conciliat, & iram.
2. Turpissimis sordibus animam conspurcat.

Meditationes

3. Reum efficit æternę damnationis.
 4. Delet è libro vitę.
 5. Præsidio Angelico destituit.
 6. Seruituti Dæmonum subiicit.
 7. Remorsum conscientię affert.
 8. Periculum in grauiora peccata labendi, teste S. Gregorio. Peccatum enim, quod per pœnitentiam non tollitur, grauitate ac pondere suo te deprimens, in aliud grauius peccatum facit incidere.
 9. Affert obligationem peccata deflendi, pudorem confitendi, & laborem pro eis satisfaciendi.
- Denique hominem commutat in bestiam, secundum illum Psalmũ 43. Homo cum in honore esset, non intellexit: similis factus est iumentis insipientibus.

Tertium.

Considera, cum hac vita Catholica verissima esse credamus;

quam

pro Feria IIII.

quam horribile sit, quòd tam facile
in peccatum mortale labamur.

Cum tamen ad nomen solum
peccati mortalis ita exhorrescere
deberemus, ac si fulmen de cœlo
caderet, vel si infernus ipse ad nos
absorbendos dehisceret.

O quanta illius hominis dementia
est, qui inordinata sua voluntate,
ob peccatum mortale, in tantę
ruinę periculum vltro sese præci-
pitat. Nec minor stultitia illius est,
qui peccati mortalis reus, lectũ pri-
us præsumit petere, quam lethali
huic vulneri medicinam quærere.

In fine instituitur hoc colloquium.

Quid proderit mihi Domine,
vniuersi mundi huius diuitias pos-
sidere, si destitutus sim tua gratia?
Quis me in misera, & laboriosa hac
vita defendet? quis in agone mor-
tis mihi assistet? quis me ab inferno

Meditationes

liberabit, si ob dilecta mea tu mihi
offensus fueris?

Per preciosum tuum sanguinem
te obtestor, mi Domine, quem
ad destruendum peccatum in li-
gno S. Crucis effudisti, ut è vita
me potius hac tollas, quam in pec-
catum mortale labi permittas.

ORATIO AD BEATISSIMAM
Virginem MARIAM.

O cœlorum Sanctissima Regina
Virgo MARIA, quæ peculiari Dei
priuilegio ab omnibus peccatorū
sordibus fuisti præseruata: te inuo-
co humiliterq; obtestor, ut à cle-
mentissimo Filio tuo gratiam mihi
impetrare digneris, qua adiutus nō
resistere tantum, sed & vincere om-
nem valeam peccati tentationē.

A D A N G E L V M.

Et te ô Angele Dei, mihi à beni-
gnissimo Deo in custodem depu-
tate, precor atque obsecro, ut

omnem

pro Feria IIII.

omnem mihi amputes occasionem
qua ad infligenda animæ meæ mor-
talia vulnera induci possim. Amen.

Pater noster. & Ave Maria. &c.

DE MVNDO.

Oratio preparatoria solita.

1. Prælium, considerare animã
corpore velut carcere conclusam
& ab inimicis vndique obsessam.

2. Petere à Deo gratiam, vt inimi-
corum insidias perspectas habeas,
ab iisq; in posterum caueas & fu-
gias.

Primum Punctum.

Considera, quàm multos mun-
dus decipiat, & ad infernum mit-
tat per suas vanitates, & leuitates,
iocos, risus, choreas, conuiuia,
computationes, delicias, volupta-
tes, honores, in quibus homines ita
irretitos & immerfos tenet, vt non
aduertant miseri innumera pericu-
la propriæ salutis, nec sentiant infi-

Meditationes

nitatis huius mundi miserias, & calamitates, nec curent de gaudiis ineffabilibus regni cœlestis.

Secundum.

Cogita, quàm difficile sit & arduum, secularibus negotiis, & curis huius mundi implicitum, & in delitiis atq; diuitiis viuentem, viam mundatorum Dei indeclinabiliter pergere, & mundum seipsum conseruare.

Si potest arbor fructifera, iuxta viam posita, fructus suos ad maturitatem perducere: potest & ille in actibus suis iusticiam immaculatam vsq; in finem custodire.

Tertium.

Confidera, quòd qui voluerit esse amicus huius mundi, inimicus Dei constituitur, quia amicitia huius seculi, inimica est Deo. Non ergo diligendus mundus, neque ea quæ in mundo sunt, sed attenden-

dum

pro Feria IIII.

dum quanta sit in mari huius mū-
di transeuntium raritas, quanta pere-
untium multitudo, & per quot pe-
ricula perueniunt homines ad
maius periculum.

Quartum.

Considera, quam perfide tra-
ctat mundus amatores suos, &
quam male remunerat seruos suos
spolians eos in fine omnibus, quæ
in vita charissima habuerunt col-
ligendum ergo opes, honores, vo-
luptates, & id genus alia, quæ huic
mundo speciosa videntur, vana
esse & incerta omnia, vt quæ ple-
rumq; viuentes deserunt, morien-
tes nunquam comittantur.

Quintum.

Considera, vbi nunc sunt amato-
res huius mundi, qui ante pauca
tempora nobiscum fuerunt, & in
mundo isto floruerunt, qui aurū
& argentum congregauerunt, qui

pur-

Meditationes

purpura, & bysso se vestiuerunt, qui lautè & splendide comederūt, qui in deliciis & voluptatibus, ludis, iocis, risibus, & choreis tempora sua insipientissime consumpserunt, & infelicissime perdidērunt.

Accedenunc ad sepulchra singulorum, & vide nihil ex eis remānisse, nisi cineres solos, aut fætidas carnes, vel ossa arida, recordare hunc finem esse illorum, etiam si in deliciis, & honoribus vitam omnem transigant.

Eccl. f. 10.

Cum autem morietur homo, hæreditabit bestias, serpentes, & vermes: omnes enim in puluere dormient, & vermes operiet eos.

Sextum.

Expende, quid profuit illis inanis gloria, breuis lætitia, mundi pompa, sæculi potentia, carnis voluptas, falsæ diuitiæ, magna familia,

pul-

pulchritudo corporis, ornatus vestium, generis nobilitas, temporis prosperitas? Transierunt hæc omnia velut umbra & fumus, & amatores suos miserrimos reliquerunt, quod illis accidit, tibi contingere potest: duxerunt illi in bonis dies suos, & in puncto ad infernū descenderunt: hic iam vermibus caro, illic anima suppliciis deputatur æternis. Heu de quanta lætitia quanta tunc tristitia! post tantillā voluptatem tam graues miseræ! pro tam breuibus deliciis, quam diuturna persoluantur tormenta!

Septimum.

Expende quomodo à quoquam sanæ mentis, & recti iudicii potest amari mundus iste, qui tam fallax & ingratus sibi acquiescentibus reperitur, nihil eorum implendo, quod promiserat, qui inimicus est amicorum suorum, & testis est

Meditationes

omnium qui faciunt eius voluntatem; qui amatores suos facit habitatores gehennæ; qui quantacunque donat amicis suis, cum ira denudò rapit omnia, nudatosq; omni bono, & confusione imbutos æternæ transmittit tribulationi.

Tales quippe sunt gratiæ ipsius, talia sunt dona illius, talem semper habet intentionem, taleq; propositum: Non deflet ille hinc recedentes, neq; hic remanentium misereatur: illos male seduxit & retibus suis conclusit, ad istos verò autem suam transferre conatur, nolens quenquam suos sæuos effugere laqueos.

Ad extremum pete supplex à Christo, vt inflammet cor tuum amore sui, & extinguat in te omnè inordinatum amorem mundi.

Pater noster. & Ave Maria.

DE TEMPORE VITAE
huius breuis.

Oratio preparatoria

Primum Punctum.

Considera tempus illud, quod in hac vita tibi Deus concedit, adeò pretiosum esse, vt nihil eo possit desiderari preciosius: vt pote quo mediante vitam potes lucrari æternam. Vnde si cuiquam defunctorum a Deo in hac vitam redeundi potestas daretur, dubium non est, quin adeò acuratam temporis sui habiturus sit rationem, vt ne momentum quidem circa boni alicuius operis frugem, & fructum sineret dilabi.

Secundum.

Considera hoc tempore finito, (finitur autem per mortem temporalem) finiri simul omnem actionem meritoriam, atq; hinc quod

Meditationes

Apostolus hortatur. Dum tempus habemus operemur bonum.

Tertium.

Considera etiam multos ex iis mortuos esse, qui vel tecum eodē anno, vel etiam post te in hunc mundum sunt nati, cogita deinde tempus illud quod tibi & non illis Deus concessit, non esse concessum tibi, vt magis huius mundi vanitatibus vaces: sed totum illud emendationi vitæ tuæ impendas. Et vætibi si tanto beneficio ad animæ tuæ salutem vti paruipenderis.

Colloquium.

Ecce Domine ante pedes tuæ maiestatis me proiicio instar serui, qui inutiliter absumpsit quicquid illi Dominus dedit; quo ex seruitute ac miseris sese redimerit. Ego is sum, qui citra omnem frugem, & fructum, iacturam feci temporis sui quod à te mihi concessum fuit

ad

pro Feria III.

ad acquirendam regni cœlestis hereditatem. Quod si seruus iste, qui plus æquo timidus, talentum sibi ad negotiandum traditum abicōderat grauiter punitus fuit; quid de me futurum, qui non vsum fructum solum, sed & ipsam bonorū substantiam semel perdididi? Nec satis hoc, quin & ipsum tempus, quo cœlestes mihi diuitias congerere debui, ad maiestatis tuæ offensio- nem maximo meo damno ac detri- mento vsurpauī? Quare tempus acceptabile, & diem salu is meæ contempsi, & in diem damnationis conuerti.

Quid faciam dulcissime IESV, so- lum hoc mihi solatii relictum est, nimirum ad te velut fontem omnis misericordiæ confugere, ac veniā postulare perpetrati delicti, de me sic promittens atq; confirmans fo- re, vt quantum in posterum tem-

Meditationes

poris mihi concelleris, id totum
ita impendam qualiter id impendisse
me in ipso mortis articulo opta-
turus sum.

Da mihi o Domine lumen, par-
tim vt videam quam pretiosum sit
tempus, quod deinceps mihi con-
cessurus es, vt scilicet illud non a-
liter traderem, quam ad tuam glo-
riam & animæ meæ salutem: par-
tim etiam vt cognoscens quantò
pere obligatus tibi sim, gratum me
ac tantorum beneficiorū memo-
rem exhibere possim.

Pater noster. & Aue Maria.

DE PERICVLIS PRAE-
teritis.

Oratio preparatoria.

Primum Punctum.

Reuoca tibi in memoriam, quan-
tum potes omnia ac singula peri-
cula, a quibus singulari Dei bene-

ficio

pro Feria III.

ficio liber & immunis euasisti. Et cogita in nonnullis eorundem, non vitam duntaxat temporalem, sed etiam animam, qua nihil tibi carius esse potest, fuisse periclitatam.

Secundum.

Considera tam te multa euasisse pericula, etiam tibi ipsi incognita, quotiescunque enim in peccatum mortale impegisti, diabolus quando animam tuam in potestate habuit (nisi obstitisset Deus) adimere tibi vitam potuisset.

Tertium.

Perpende, quam gratitudinem hactenus ostenderis Domino Deo tuo, qui cum tui nullatenus indigerit; nihilominus tamen te veluti rem sibi charissimam custodiuit, & conseruauit; quem si offendisse te comperias, pudeat te protinus tantam tibi præstitam bonitatem, &

Meditationes

amorem tam miserè & abiectè recompensare.

Quartum.

Contemplare causam ob quam ab eiusmodi periculis te liberauerit Deus, non vt pergas eum deinceps offendere, sed vt pænitentiam agas de præterita ingratitude, & vt diligas eum, peccata detesteris, vitam in melius commutes, magis ac magis Dei gloriam in te tuisque promoueas. Deniq; illi fidelius ac diligentius inseruias.

Quintum.

Caue ne dum præterita ista effugeris pericula, de futuris non satis tibi diligenter prospicias. Vnde per negligentiam & ingritudinē tuam postmodum pœnam incurras longe grauiorem. At potius quamdiu viuis extollas Dei misericordiam cum Psalmista.

Psalm 93.

Nisi

Nisi quia Dominus adiuuit me:
paulò minus habitasset in inferno
anima mea.

Si dicebam motus est pes meus,
misericordia tua Domine adiuua-
bat me. *Psalm 123.*

Anima nostra sicut passer ere-
pta est de laqueo venantium.

Laqueus contritus est, & nos
liberati sumus.

In fine colloquium.

Qua tandem in re, ò Domine, mea
tibi opera opus est, quòd à tantis
periculis tua me prouidentia ad
hunc vsq; diem conseruare digna-
ta sit? Quem fructum expectas à
me, quod non ceu plantam inutilē
ex horto tuo me extirpaueris, ac
velut imiltoties promerui in ignē
proiecero? An vt peccatorum me-
orum numero adimpleto pœnas
sustineam acerbiores. Nequa-
quam, Redemptor mi, cùm

Meditationes.

Pater sis misericordiarum non delectaris in perditione ac punitione uiuentiu. Video Domine clementissime id totum factum esse ad animæ meæ salutē, vt scilicet de præteritis peccatis, peracta pœnitentia quòd reliquum est vitæ tuę sanctissimæ voluntati conuenienter institutam.

Si beneficio hoc singulari, ac propter omne tuum meritum tibi concessio, ò anima mea, ad salutem tuam vti neglexeris, non video qua ratione à tantis ingratitude macula possis absolui.

Surge, ac de nouo nouo cum feruore excitare ad seruiendum tam magno Deo.

Quod si nequeas seruire illi, prout meretur, id præsta, quod potes, & grata ipsi erunt tua seruitia.

Dic Pater noster. & Aue Maria.

FERIA QUINTA.

MEDITATIO

De recta bonorum temporalium
dispositione facienda.

Oratio preparatoria.

1. Præludium, imaginarete Christum Dominum videre cum suis discipulis in cœna vltima mensæ accumbentem, & audire verba illa ex infinito amore, ac inexhausta liberalitate proferentem: ego dispono vobis regnum cœlorum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatís super Thronos duodecem. *Luca 22. cap.*

2. Præludium, pete à Domino feruenter, vt dispositione bonorũ tuorum Christi Domini promptitudinem ac liberalitatem, quam amore tui exhibuit, imitari possis.

Meditationes

Primum Punctum.

Considera singulare Dei esse beneficium, eximiamq; ipsius gratiã habere tantũ promptitudinis animi tantumq; efficacitatis, vt de bonis temporalibus tuis, quod Deus tibi largiter concessit, vita adhuc superstitice boni aliquid facere, fundare, aut extruere pro Dei gloria & animæ tuæ salute velis & possis.

O quã multi enim sunt, qui multas quantumuis diuitias possideant, easq; libenter in luxum, & superbiã huius mundi effundant, arces, thures, palatia, & hortos sumptuose ædificent; agrè tamen vel pussillum quid ex iis pro lucranda animæ salute, & Christi IESV nomine amplificando, tribuant. Vnde sepe numero accidit eos laudare & prædicare in aliis hanc in Dominum Iesum liberalitatem ac munificentiam, & tam sedulam

pro FERIA V.

animæ suæ curam; in seipsis tamen nullam eiuſmodi promptitudinem animi, & in Deum amorem experiuntur: proponunt, & optant illi quidem, ſed ad effectum nunquam perducunt. optatum eo quod hac gratia Dei, & beneficio ob aliqua peccata deſtituantur. Hanc proinde infelicitatem deplorat Eccleſiaſtes capite 6. Eſt & aliud æque malum, quod vidi ſub ſole, & quidem frequens apud homines, vir cui dedit Deus diuitias & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus quæ deſiderat, nec tribuit ei poteſtatem Deus, vt comedat ex eo, ſed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas & magna miſeria eſt.

Secundum punctum.

Cogita quam ſoliciti ſint induſtrii & laborioſi parentes in hæreditate conquiſcenda, augenda, &

Meditationes

conseruanda filiis suis, quas curas illi & labores atque incommoda non perferunt, dummodo theſaurizent filiis suis: atq; ita ſæpenu-mero accidit hac nimia ſolicitudine curaq; perpetua circa filios ſuos, parentes, diuinam maieſtatem offendere, & conſcientiam ſuam aggrauare nimis. Quantò magis ſedulū eſſe conuenit te in quærenda & comparanda hæreditate cæleſti animæ tuæ, quæ tibi vnici filii ſui loco eſſe debet, nullos labores, ac nulla incommoda refugere debes, nullis bonis temporalibus parcere, dummodo anima tua hæreditatē cæleſtem adeat: ſic enim laborando non in vanum laborabis, nec periclitaberis; ſed ſecurus exiſtes, atq; hunc ſanctum ac perneceſſarium ordinem charitatis ſeruabis, vt primum ante omnia tuæ proſpicias animæ.

pro Feria V.

Tertium.

Pone tibi ob oculos exempla veterum Patrum & Sanctorum, qui Deo per labores suos, ac diuitias placuerunt. Illi enim bona temporalia (vt ex vitis eorundem patet) in tres partes diuidere soliti erant, de iisq; disponebant in eum modum: vt primam partem darēt Ecclesiæ Dei & Sacerdotibus: alteram pauperibus: tertiam sibi reseruabunt ad vitæ sustentationem. Quæ enim de manibus Domini sui accipiebant, hæc læti ipsi eidem Ecclesiæ, & pauperibus offerebāt, relicta tantum modo pro sua sustentatione, & suæ familiæ parte reliqua, vt eo commodius Deo tamulari possent.

Quartum.

Considera quod Dominus Deus agat nobiscum, ad instar fertilis boniq; agrisille verò cultori & seu

Meditationes

Patrifamilias suo copioſā, & vberem reddet meſſem, dum ab eo largam quoque accipit ſementem. Iuxta illud. Corinth. 9. Qui parce ſeminat, parce & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionib. & metet. Vita noſtra eſt veluti quidam ager, ſementē quandam in ſe capiens: quanto ergo noſ laboratores Deo noſtro exhibuerimus tanto noſ maiorem eiufdem munificentiam in hoc mundo & in futuro experiemur.

Quintum.

Expende, diſpoſitionem bonorum, quā vita ſuperſtite adhuc faciamus pro ſalute animæ noſtræ multò eſſe gratioſiorem Deo, nobiſq; vtiliorem, quā ea ſit, quæ iuxta ordinationem noſtram, primum fieret poſt mortem noſtram: vbi enim plus voluntatis eſt ac promptitudinis animi in Deum, & animā

nostram, ibi opus multò efficacius melius, gratius, & vtilius redditur. At qui in hac bonorum dispositione, quã adhuc viui instituimus, & exequimur, plus volùtatis animiq; promptiprehēditur (talis enim voluntas non modo extendit sese in ipsam dispositionem, sed etiam in executionem eius, quæ præcipua est: post mortem autem cessat omnis voluntas, quo ad executionem, si quidem iam non est in potestate nostra iniungere posteris efficacem executionem) sequitur ergo dispositionem factam bonorum, viuentibus nobis multò meliorem vtilioremq; nobis effici.

Deinde quam plena est periculi post mortem executio, posteriorū enim malitia, obliuione, negligentia, nec non avaritia, non raro accidere solet, & ea quæ testamento ordinata sunt, suum effectum mi-

Meditationes

nus fortiantur. Deniq; illud etiam apud Deum nobis meritum accumulatur, dum amore Christi Domini viventibus nobis adhuc bonorum partem adimimus, quam pro gloria Dei, & salute animæ nostræ offeramus libenter, exemplo S. Iob cap: 31. qui fatetur se nullam buccellam suam commedisse solum, ex qua etiam pupillus non comederit. Post mortem autem quòd bona aliqua nostra cedant ad gloriam Dei, quid mirum? cum iam amplius possessores eorum esse nequeamus, nec frui eis pro voluntate possimus, & distulimus in illud tempus dispositionē eorum, quando iam illis non indigebimus, ne viventibus aliquid deesset, hoc autem minuit meritum apud Deum omnipotentem.

Sextum.

Reuoca tibi in mentem plurimos qui hanc bonorum dispositionem

ad

ad punctum mortis differentes desiderio suo, ac voto frustrati sunt, vel quia inopina, ac subita morte hinc abrepti sunt, vel quia amore prolis, & consanguineorum, aut spe vitæ longioris, aut morbi gravitate, aut malitia doloq; successorum, multa impedimenta posita sunt, quo minus piam suam voluntatem ad executionem perducerent, & testamento pro gloria Dei aliquid libere legarent. Fælix quem faciunt aliena pericula cautum. Et quod manus tua potest operari, instanter operare firmiter statue, velle te deinceps exemplo aliorum prudentiorem si quidem post mortem vix ex successoribus aliquis reperiri possit, qui tibi fidelis & memor animæ tuæ existat, & aliquid ex iis, quæ ipsis reliquisti, pro salute tua in posterum largiri velit.

Meditationes

Septimum.

Cogita quantum in vita solati-
um, & in morte securitatem habi-
turus sis, postquam de bonis tem-
poralibus aliquid tempestiue sta-
tueris, quòd cedat ad Dei gloriam
& animæ salutem. Ex iis enim quæ
nobis in morte euenire summope-
re desideramus, illud vel præcipuū
est, vt omnem cogitationem men-
temq; nostrā liberè ad Deum pro
peccatis antea actæ vitæ placandū,
& animæ salutem procurandam
conuertamus: hoc verò facile af-
sequi poterimus, si nos in tempore
à bonis temporalibus extricaueri-
mus. Grauis enim est, & magna
perturbatio animi & anxietas hinc
primum velle cogitare, quomodo
sint disponenda bona temporalia,
quibus, quæ ratione relinquen-
da, quæ sollicitudo non permittit,
ita vt par est, tunc vacare salutem.

pro Feria V.

Bonū ergo est illud memoria sapi-
us recolere quòd sapiens: Ecclē 4.
dicit sic: Considerās inquit reperi,
& aliam vanitatem sub sole, vnus
est, & secundum non habet, nec
filium nec fratrem, & tamen labo-
rare non cessat, nec satiantur o-
culi eius diuitiis, nec recogitat di-
cens: cui laboro & fraudo animam
suam bonis? in hoc quoque vani-
tas pessima, & afflictio. Hæc ille.

Octauum.

Considera, quā magna gaudii
& gloriæ accidentalis tibi in cœlis
accessio noua futura sit, tam diu
quam diu durabit illud opus ex
bonis tuis factum in mundo; fun-
datores enim religionum tam diu
in cœlis læti participant de fructi-
bus nouis, ac nouis religionis suæ,
quam diu profert eos religio. Pari-
ratione Mecenates, qui bonis suis
temporalibus dotarunt Ecclesias

Meditationes

ac religiosos nouis præmiis affici-
entur semper, quam diu durat illa
Ecclesia aut religio profert, quæ
fructus ex occasione dotationis
seu foundationis illius.

Ad extremum tria institues colloquia.

Primum

A D D E V M P A T R E M.

O Pater immensæ bonitatis, qui
sic dilexisti mundum, vt vnigeni-
tum filium tuum dares: an non
æquum est, vt ego quoque amore
tui, si non vnigenitum saltem bo-
na externa inferioris longè condi-
tionis, tibi promptus ac lubens
offeram.

Secundum

A D I E S V M C H R I S T V M
crucifixum.

Dulcissime I E S V Christe, quic-
quid tibi præciosissimum ac caris-
simum fuit pro salute mea prom-
ptissimum obtulisti, carnem imma-
culatam, sanguinem præciosum,

ani-

pro Feria V.

animam sanctissimam, diuinitatem
immensam mihi liberalissime do-
nasti, quibus omnibus nihil maius
utiliusq; mundus habere potest,
& ego caduca bona, quæ mecum
hinc auferri nequeo, tibi tuæq; glo-
riæ dicare, & offerre recusabo? ab-
sit hoc à me Domine.

Tertium

AD SPIRITVM SANCTVM.

O Sancte Spiritus qui tanta mu-
nificentia dona tua in me peccato-
rem pene quotidie effundis, meq;
tui amoris igne accēdis perpetuo:
effice, vt lampades tuæ sint mihi
lampades ignis & flammaram, tu-
que sis signaculum vnum super
cor meum, & signaculum super
brachium meum, vt tibi etiam ex
bonis temporalibus gratus existā,
multiplica misericordiam tuam
super me, vt te rectore, te duce, sic

tran-

Meditationes

transeam per bona temporalia, vt non amittam æterna.

In fine autem recita Psalm.: cum consideratione 4.

Deinde dic Pater noster. & Aue Maria.

Deinde dicitur Psalmus. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. &c.

MEDITATIO DE DAMNIS
ex peccato mortali
provenientibus.

Oratio Preparatoria.

Primum præludium erit, ponere sibi ob oculos miserandum hominis spectaculum, in quo à planta pedis vsque ad verticem capitis non sit sanitas, sed vulnus & liuor & plaga tumens.

Secundum erit, petere à Deo gratiam, vt peccatoris conditione e dampnis peccati mortalis intime

per

perspectis, illud summopere deui-
temus. *Primum.*

Considerare, quòd hominis in-
tellectus per peccatum obcæca-
tur, ratio sensui subiicitur, volūtas
diuinis rebus auertitur, cum nau-
sea rerum spiritualium, naturales
facultates peruertuntur, sensus il-
lecebris addicti deprauantur, cor-
pus morbis quandoq; inficitur, to-
tusq; homo priuatur amicitia Dei,
gratia & specialibus auxiliis diui-
nis omnibusq; virtutum ornāmē-
tis, quibus ditatus erat, tanquam
Dei Filius: vnde nihil aliud in eo
remanet, quam horrificum chaos,
& luti volutabrum; atq; ita Dei ini-
micus cōstitutus, & è paterna Dei
cura, & filii adoptione reiectus, in-
iuste & tanquam fur vtitur ac fru-
itur terra, aqua, & aliis omnibus
creaturis. *Secundum.*

Cogitare quòd per peccatum re-

Meditationes

manet synderesis, & conscientiæ stimulus quidam, qui totum hominem continue torquet & cruciat; vermis enim peccatoris non moritur in æternum, & ideo quasi mare feruens nunquam quiescit, sed assiduis tentationū procellis, hinc inde agitatus, & acutissimis aculeis confossus, tanquam alter filius prodigus, ad porcorum stabulum sese reducis, & de eorum filiquis ventrem suum implere cupiens, fame rerum spiritualium perit; unde funibus peccatorum quotidie magis ac magis constrictus, tandē ad inferni iter accinctus suomet pondere in gehennæ baratrū præceps ruit.

Tertium.

Animaduertere quòd homo cū peccauit, Christi Domini vulnera eiusq; sanguinem, crucem, mortē & merita omnia, quodammodo conculcauit, & quod culpam au-

get,

get, ipso Deo intime sibi præsentem ac spectantem, abutens diuina ope, qua ad omnes etiam & singulas corporis animiq; functiones opus habet, languoris beneficia ac dona in hostilia tela conuertit, ipsamque vel sanctissimam Virginem, Angelos, ac Beatos omnes quantum in se fuit contristauit, & gloriæ accessione priuauit, malo deniq; exemplo quamplurimis hominibus profuit offendiculum peccandi.

Quartum.

Postremo perpendet, quod homo per mortem peccatum non modo opere, sed vel assensu consummatum, mortem æternam sibi generauit, vnde & æternam gloriam perdidit, & ius ad perennem illam vitam amisit, atq; ita è regno Beatorum eiectus, spoliatus infelix Dei amore, qui summa est hominis fælicitas, ac bonorum omniũ

Meditationes

fontes æternis inferni, flammis additus, & infami seruituti, ac durissimæ Dæmonis Tyranidi traditus, nunquam ab illa, neq; sua, neque hominum, neq; Angelorum potestate, poterit liberari.

Colloquio vno, vel pluribus terminabitur contemplatio, recitato in fine Pater noster. & Ave Maria.

EXERCITIVM DE IVDICIO
particulari, vnoquoq; statim
post mortem obeundo.

Oratio Preparatoria.

1 Præludium erit, imaginari te fisti ante tribunal Christi, vt reddas rationem de omnibus prout gessisti in corpore suo, siue bonum, siue malum.

2 Præludium, petet gratiã vt intime penetres rigorem illius rationis iustissimo ac seuerissimo iudici reddendę.

Primum punctum.

Contemplare animam tuam ad

iudi

iudicium trahi à feuerissimis illis
iustitiæ diuinæ ministris, variq̃ illā
increpantibus & obtreçantibus,
& dira illi minitantibus. Adde inter
nos conscientia angores te mor-
dentes, vnde cogitans quid respō-
surus sis iudici, nihil inuenies in te,
nihil in factis tuis, in tota deniq; vi-
ta tua, nō damnatione dignum ibi
detestaberis in corde tuo, maledi-
cesq; diei in quo peccasti, volupta-
temq; aut appetitum, vnde ad pec-
candum pertractus es. Ibi vide bis
quā inania, quam uē futilia, &
nihili erant omnia, illa quæ ad pec-
candum te pelliciebant, propterq;
ad has ærumnas, inque hæc perpe-
tux mortis discrimina incurristi,
cumque ita propter res tam futes
ac nullius momenti in tam miserā-
dum statum te eductum videbis,
iamq; vitæ tuæ tempus elapsum,
nullumq; pœnitentiæ locum esse

Meditationes

relictum, immo illas ipsas personas, quarumq; gratia peccasti, illas res quas inordinatè dilexisti, ne dū tunc temporis tibi adiumento esse posse, sed potius affere angores, timores, atque tormenta? Quid obsecro facies? quo fugies à facie diaboli, vbi te abscondes à vultu iudicis irati: time igitur, time, dum viuis adhuc, & cura te abstrahere ab operibus mortis.

Secundum.

Confidera terribilem irati Iudicis vultum, de quo scriptum est: Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Quem vultum ita timebat sanctus ille, licet secundū cor Dei inuentus, vir vnus inter omnes Dauid propheta, & vt suppliciter oraret. Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. & alibi: Configet timore tuo carnes
meas.

meas, à iudiciis enim tuis timeo. Et ille S. Iob, qui testimonio Dei, non habuit similem vniuersa terra, dicebat: Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum; & pontus eius fieri non potui. Et alibi: Quis mihi tribuat vt in infernum protegas, & abscondas me donec pertranseat furor tuus Domine. Ex his discce, dum tempus est timere eum qui possit corpus occidere, habet potestatem animam mittere in gehennam perpetuam, hunc dico vobis timete, ait virtus ipsa.

Tertium.

Considera strictam rationem, quæ à te exigetur de singulis rebus de anima, potentiis, & sensibus eius deque gratiis in illam collatis, item de corpore ac membris omnibus, & organis sensuum. Item de bonis omnibus fortunæ, tum demum de cogitationibus minutissimis, de ver

Meditationes

bis, de operibus, de bonis omissis, de tempore perduto. Si iustus vix saluabitur, secundum Apostolum, impius & peccator vbi se abscondet? Ibi te accusabunt Dæmones, conscientia propria, peccata tua, deniq; creaturæ omnes, quarum creatorem offendere non es veritus; armabitur enim omnis creatura ad vltionem contra insensatos. Quid tum facies miser? quo ibis? quem patronum inuocabis, cum contra te omnes consurgent, nihil ibi iam lachrymæ iuuabunt, nihil proderunt pœnitentiæ opera, nihil impetrabunt orationes & ieiunia, nullum pro futuro tēpore admitte- tur promissum aut propositum, nihil valebit confessio peccatorum, nihil diuitiæ, nihil scientia, nihil prudentia, nulla deniq; proderunt præsidia, sed pudefactus & confusus, te ipsum frustra incusans cla-
mabis

pro Feria V.

mabis cum suspiriis, Prouerbiorū
5. In nouissimis quando consum-
pseris carnes tuas & corpus tuum,
& dices cur detestatus sum disci-
plinam, & increpantibus non ac-
quieuit cor meum, nec audiui vo-
cem docentium me, & magistris
non inclinaui aurem meam.

Colloquium erit plenum timore
& confusione, atq; extasi, excla-
mando ad Christum crucifixum:

O Rex tremendæ maiestatis, qui
saluandos saluas gratis, salua me
fons pietatis. Recordare Iesu pie,
quod sum causa tuæ viæ, ne perdas
me illa die. Iuste iudex vltionis do-
nū fac remissionis ante diē rationis

Dic Pater noster. & Ave Maria.

EXERCITIVM DE VSV
diuitiarum.

Oratio preparatoria.

I. Præludium erit, reuocare sibi

Meditationes

in mentem diuitem illum Euangelicum. Lucæ 16. Contemplare illius progressum, mores, & abusum diuitiarum, finem deniq; diuitiarum & vitæ ipsius.

2. Præludium, orabis Dominum, vt tibi aperiat oculos mentis, cum illo cæco clamante (Domine, vt videam) siquidem diuitiarum ea est proprietas, excæcare nimio amore, & desiderio sui hominū animos. Tu petes vt videre possis diuitiarum vanitatem, & rectum ac salutarem earundem vsum.

Primum Punctum.

Considerare homines in mundo aliquos diuites, aliquos pauperes, aliquos in discrimen salutis, animæ, ob diuitias venire, aliquos diuitiis benè ac iustè comparatis, regnum sibi cæleste emere, aliquos ob paupertatem impatientia moueri, & multa cōmittere peccata, aliquos

pau-

pro Feria V.

paupertatem Christi pauperis exemplo sibi longè charissimam, & familiarem habere, vt diuites in fide, & cæteris efficiantur virtutibus. Hic detestabor illos, qui finis sui obliterati, quo diuitias acceperunt à Domino, tam misere illas abliguriunt, & inique expendunt. Imitabor illos quibus Deus misericors tribuit hanc gratiam, vt iuxta illius sanctum beneplacitum ac voluntatem vtantur diuitiis.

Secundum.

Considera diuitias etiam collocare posse inter talenta, quæ Dominus peregrè proficiscens distribuit inter seruos suos dicens: Negotiamini vsq; dū venio. expende hic paululum quæ sit voluntas domini, quidue à seruis suis exigit. Primum ingens beneficium & gratia huius Domini magna elucet inde, quòd sua bona tradat seruis su-

Meditationes

is quamuis non teneatur. Secundum, quòd traditis suis bonis, sese à seruis suis subducat, vt eo liberius absente domino operentur serui, & Dominus fidelitatem eorum magis cognoscat & exploret. Tertium, quod totum penitus à seruis suis exigat, & ipsa talēta eadem quæ dedit ad lucrum ex his reportatum. Quartum, perpetuam negotiationem ab his postulat, vt non desistant negotiari donec veniat. Quintum, quā amplo præficit præmio, bonosq; ac fideles seruos, & ipsos mirifice coram omnibus colaudauit; seruum autem nequam repudiauit, grauitèr puniuit. Hæc omnia & singula puncta diligenter expendes, & tibi applicabis. Heu serue bone, euge, quia in paruis fidelis fuisti. *Tertium.*

Considerare diuitias esse ex genere rerum indifferentiarum, quæ

ex sua natura, nec bonæ sunt nec malæ, sed tunc effici bonas, dum illis utimur bene: malas, dum autem abutimur. acuratum sic institue examen, quales apud te sunt diuitiæ, bonæne an malæ? Bonæ erunt, dum tibi rectam & expeditam reddunt ad cœlum viam, & ad promerendam Dei gratiam, quod fit dum cor non apponis ad diuitias, nec illud nimio amore ac sollicitudine, cura earum grauari permittis. Expergiscere igitur ô anima, & considera qualium diuitiarum in regno cœlorum possidendarum tibi facultas opportuna datur pro caducis hisce diuitiis. Excita te ipsam anima, & sedulo statue, in posterum diuitiis a Deo concessis, te in hunc finem vsuram: cæterum malæ ac perniciosæ redduntur diuitiæ, si nimirum eas nimium dilexeris, & in accumulandis ipsis, nec

Meditationes

modum, nec ordinem serues, non spectando iustene vel iniuste, aua-
rè nimisq; sollicitè congregentur &
teneantur: si eas in res huius secu-
li nequam nimium nec necessariò
effundas, & cum Leo & anima
propria parcè & tenaciter te ge-
ras. Talibus diuitiis diuitibus v̄a à
Deo dicitur Lucæ 6. V̄a vobis di-
uitibus, qui habetis vestram con-
solationem; aditus in cœlum diffi-
cilis redditur, sicut per foramen a-
cus camello. Vnde S. Iacobus Apo-
stolus cap: 5. Epistolæ suæ: Agite
nunc diuites, plorate vllulantes in
miseriis vestris, quæ adulantur vo-
bis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt
& vestimēta vestra à tineis come-
sta, aurum & argentum vestrum
eruginauit. Thesaurizatis vobis
irā in nouissimis diebus. *Quartum.*

Considera, quemnam diuitem
Spiritus S. appellet beatum, Eccle:

31. Beatus, inquit, diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit; nec sperauit in pecuniæ thesauris, quis est hic laudabimuseum; fecit enim mirabilia in vita sua, qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala & non fecit; ideò stabilita sunt bona illius in Domino & eleemosinas illius enarrabit Ecclesia Sanctorū. *Hæc omnia singillatim expēdēda sunt.*

1. Quam rari sint diuites sine macula, idcirco ait, qui inuentus est sine macula, non enim sunt obuii, nec multi passim occurrunt vix inueniuntur. 2. Quia beatus diues auro imperat, non aurū ipsi: quia post aurum non abiit, vt seruus post Dominum. 3. Spem suam totā in Deum collocat, & in eū proicit cogitatum suum: idcirco non sperat in pecunia, quæ illum à malo & à verbo aspero liberare nequit.

Meditationes

4. Beatus diues non est otiosus, sed actibus in mundo propter hominum expectationem mirabilia facit, pro Dei gloria & animæ salute. 5. abstinet à peccatis, quantumuis diuitiarum abundantia nexus peccare possit, & nemo illi vt potè diuiti ac potenti dicere auderet: Cur hoc facis? Ad extremum benedictionem à Domino Deo obtinet, quòd bona eius stabiliantur magis, memoria eius perpetua in animis hominum permaneat.

Quintum

Cogita, quem finem habituræ sint diuitiæ postquam mortuus fueris, in quorum manus deuenient, & quis eorum possessor? contingit sæpe, quòd in manus inimicorum tuorum deuenient, qui non modo animæ tuæ saluti prodesse volent; sed omnē penitus memoriam eradicare dabunt. Eccle. 6. Vir cui

Deus

Meditationes

Deus, inquit, dedit diuitias & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat; nec tribuit enim potestatem Deus, ut commedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas & miseria magna est. Intuere ergo quod quid communiter fiat in mundo cum diuitiis, quas parentes aut cognati aliquando suis filiis aut nepotibus relinquunt. Fælix qui alieno periculo cautus est, dum viuis, dum potes, quidquid manus tua potest instanter operare.

Sextum.

Considera, quantus dolor sub fine vitæ malos diuites affligit, & quanto gaudio iusti diuites perfruantur: nam præterquam quod graue nimis est auelli ab iis, quibus cor tantoperè adhæserat, instat & iudicium tremendum ac horribile. Ibi enim dicetur diuiti, redde ra-

pro Feria V.

tionem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare. Tunc peccata obiicientur è diuitiis contracta. Gaudium verò quale sit futurum iustorum ex illa iucunda seruorū approbatione liquet. Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in regnum Domini tui. Expende, quid sit intrare in regnum, in gaudium Domini sui? Merito te in abyſſo voluptatum cælestium, vt intus & extra gaudio implearis, & inebriari ab vbertate domus Dei & torrente voluptatis possis.

In colloquio conuerte te ad Iesum nudum in cruce pendentem, & dic:

Quid ego dulcis Iesu amore tui faciam, vt qui pro salute mea cum diues esses pauper & nudus factus es? *Deinde dic Pater noster. & Ave Maria.*

FERIA SEXTA.

Meditatio sine Oratio de passione Domini amarosa.

O Domine IESV Christe crucifixe, quanto te dolore in cruce video grauatum? sed vim doloris & mortis superat amor fortis ille, quo crucem hanc subire, & mortem hanc dolorosam & crudelem pro nostra salute perferre voluisti. O amor crucifixe, quomodo iam exaltatus omnia trahes ad te? Quomodo non sagittas ardentes ex hac cruce emittas, quæ corda durissima feriant? & quis tam potens in malitia est? quis tam durus qui se à calore tuo abscondere possit? quis tam frigidus quem non inflamet fornax ille amoris è pectore tuo crucifixe erumpens? quis tam ferreus quem virtus tui

Meditationes

pretiosi sanguinis non frangat, nec emoliat?

O IESU bone, cordis amor & requies, respice in me. Respice in me ex hac cruce amarosa, peccata mea polluerunt me, & te adegerunt in crucē. Sanguis tuus abluat me: requiem quam in mundo non inuenio, eam in te quæro: nec quærere desinam donec inueniam.

O IESU crucifixe, fiat nidulum meum in vulneribus tuis: scio quod spe mea non frustrabor, neque peccatorem repelles, qui laborantes, ut ad te veniant inuitas & allicis.

O IESU dulcis crucifixe, o confixe & transfixe miles, quam crudeliter pro me in bello passionis vulneratus es: des mihi, ut me abscondam in vulneribus tuis: des ut vnicam miculam sanguinis gratiæ tuæ degustare valeam absconditi & secreti amoris tui. Lex, cœlum,

natu-

natura, Deus, & omnia iura facient me ingratum esse natum, si te non amauero: ego te offendo, tu me defendis: ego te non timeo, tu me custodis: ego à te recedo, tu me suscipis. Quid igitur tibi dulcissime IESV amore tui faciam? vt quidum diues esses, pro salute nostra pauper & nudus factus es.

Quas tibi dignas gratiarum actiones referam Domine IESV, quòd me miserum peccatorem sanguine tuo pretioso redemisti.

Verè magna fuit passio tua Domine IESV Christe, multiplex martyrium tua vulnera amara & ignominiosa mors, quibus nos Patri amantissimo reconciliasti, cum in monte oliueti guttas sanguinei sudoris in terra defluentes præ tristitia & anxietate emisisti: desertus à discipulis fuisti: in manus sceleratorum traditus: duriter vinctus &

Meditationes

ligatus: à iudice iniquo condemnatus: à Iudæis accusatus, contemptibiliter conſputus, irriſorie velatus, ignominioſe in facie cæſus.

Ah I E S V Chriſte pro peccatis meis crudeliter vulneratus es, percuffus, flagellatus, ſpinis coronatus, cruci affixus, deſpectus, plagis & verberibus liuidis, ſanguine aſperſus, & rubricatus, clavis perforatus, in ſiti aceto felle mixto potatus, & pro me crudeliter occiſus Gratias tibi ago immenſas pro tanto martyrio amariffimæ paſſionis ac mortis tuæ.

Te benedico, te laudo, te glorifico, ò Domine I E S V ſuauiffime, per vulnera viſcerum tuorum, vt paſſio tua ſit ſalus, vita, & protectio: ipſa me à peccatis emundet, à periculis conſeruet, à mortali peccato cuſtodiat, in bonis iuuet, vitam deuotam & quietem cum vxore

mea

pro Feria VI.

mea N. ad laudem & gloriam nominis tui, & ad salutem animarum nostrarum nobis clementer tribuat, & felicem exitum mihi in hora mortis meæ. Amen.

*Meditatio S. Augustini ad Dominum
IESVM crucifixum.*

Aspice pie Pater piissimum Filium, pro me tam impio passum. Respice clementissime rex quis patitur? & reminiscere benignus pro quo patitur? nonne hic est mi Domine innocens ille, quem ut seruum redimeres filium suum? Nunquid non auctor vitæ hic est, qui ut ovis ad occisionem ductus, tibi obediens factus, non timuit necis atrocissimæ subire supplicium? Reduc Domine Deus meus oculos tuæ maiestatis super opus ineffabilis pietatis. Intuere dulcem Iesum toto corpore in cruce extensum.

Cer

Meditationes

Cerne manus innocentes pio sanguine rubicundo manantes. Remitte placatus scelera, quæ patrarunt manus meæ. Vide immaculatos pedes durissimo clauo transfixos, qui non steterunt in via peccatorum; sed semper ambulauerunt in lege tua, diris confixos clauis. Perfice gressus meos in semitis tuis, & fac me odio habere omnes vias iniquitatis. Considera inermelatus crudeli perfossus cuspide, & sanguine totum latus irrigantem, & renoua me sacro fonte, quem inde credo fluxisse, & viam iniquitatis iam amoue à me: & fac me propitius viam eligere veritatis, & te Dominum Iesum pro menudatum, crucifixum, ex toto corde, ex tota mente, & ex totis viribus & visceribus meis diligere. Aspice ergo mitissime conditor, dilectissima solis tuæ humanitatem, & misere

rere

rere super infirmi Nicolai serui tui
debilitatem: candet nudū pectus,
rubes cruentum latus transfixum,
tensa arrent viscera, decora lan-
guent lumina, regia pallent ora,
procera rigent brachia, crura pen-
dent contusa, rigat tenebratos pe-
des beati sanguinis vnda, specta
glorioso genitor gratissimæ prolis
lacerata membra, & memorare
benignus quā misera est mea sub-
stantia. Conspicere Dei hominis
pœnam, & relaxa conditi hominis
miseriā. Vide redemptoris suppli-
ciū, & redempti dimitte delictum.

O IESV benignissime, ò Iesu fili
Dei dulcissime, quid commisisti vt
sic iudicareris? quid commisisti
Iesu amantissime, vt ita tractare-
ris? quod scelus tuum? quæ causa
mortis? quæ occasio tuæ est dam-
nationis? ego sum tui plaga dolo-
ris, ego sum culpa tuæ occasionis,

Meditationes

ego tuæ mortis meritum, ego tuæ
vindictæ flagitium, ego tuæ passio-
nis liuor, ego sum indignissimus &
infelicissimus tui cruciatus labor.

O mirabilis censuræ conditio! ò
ineffabilis misterii dispositio! Ego
pecco iniquus, & tu puniris iustus:
ego delinquo reus, & tu vapularis
innocens: ego offendo impius, &
tu damnaris pius. Quod mæreor
malus, hoc pateris bonus. Quod
perpetro seruus, tu exsoluis Do-
minus: quod committo homo, tu
sustines Deus. Quò tandem, ò nate
Dei, quò tua descendit humilitas?
quò bona flagrauit charitas? quò
processit pietas? quò execrauit be-
nignitas? quò tuus adit amor? quò
peruenit compassio? Quod enim
inique egi, tu pœna gustaris. Ego
facinus admisi, tu ultione plecteris:
ego crimen edidi, tu torturæ subii-
cieris: ego superbiui, & tu humilia-

ris:

pro Feria VI.

ris: ego inobediens extiti, & tu o-
bediens scelus inobedientiæ luges:
ego gulæ parui, tu inedia afficeris;
quã me ad illicitam concupiscen-
tiam rapuit infelix ardor: te verò
perfecta charitas mei duxit ad cru-
cem. Ego præsumpsi vetitum, & tu
subiisti aculeum: ego delector ci-
bo, tu laboras patibulo: ego fruor
delitiis, tu laniaris clavis: ego mun-
di dulcedinem, tu verò fellis gustas
amaritudinem: mihi ridens con-
gaudet ex peccato Eua, tibi plo-
rans compatitur Maria. Ecce rex
gloriæ: mihi quæso sine te nihil dul-
cescat, nihil complaceat, nil præ-
ciosum, nil præter te mihi arrideat
speciosum. Vilescent, obsecro, abs-
que te mihi omnia, sordeant vni-
uersa, quod tibi aduersum est, sit
mihi molestum: & tuum benepla-
citur, mihi indeficiens desiderium.
Tædeat me gaudere sine te, & de-

Meditationes

lectet contristari pro te. Sit mihi nomen tuum reffocillatio, & memoria tui consolatio: fiant mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, inuestigando iustificationes tuas. Sit bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti: sit obedire tibi mihi amabile, & resistere tibi execrabile.

Rogo te IESU spes mea, per omnes pietates tuas, vt propitieris impietatibus meis. Adaperi aures meas mandatis tuis, & ne declines flagito per nomen sanctum tuum in verba malitiæ, cor meum ad excusandas excusationes in peccatis. Peto etiam per admirabilem humilitatem tuam, ne veniat mihi spes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me.

O Deus meus, creator, tollerator, enutritor meus; te sitio, te esurio, te desidero, ad te suspiro, & con-

cupi-

cupisco. Sicut pupillus benignissimi patris orbatus presentia, flens & eiulans incessanter eius dilectam faciem toto corde amplectitur: sic ego non quantum debeo, sed quantum quaero. Memor passionis tuae, memor alaparum tuarum, memor flagellorum, memor vulnerum tuorum, memor qualiter pro me occisus es, qualiter conditus, qualiter sepultus: simul memor tuae gloriose redemptionis, & admirabilis ascensionis, non dubitata fide teneo exilii mei erumnas defleo: spero & laudanter desidero vultus tui consolationem. Cur o anima mea te non transfigit gladius doloris acutissimi? cum ferre non posset vulnera lancea latus tui Salvatoris? eum videre requires violari clavis pedes & manus tui plasmatoris cum horrore effundi sanguinem tui amantissimi redemptoris? Cum ille

Meditationes

potaretur amaritudine fellis, cur tu non es inebriata lachrymarum amaritudine salis? Cur non es compassa Virginis Mariæ, sub cuius præsidio & intercessione consistis in fide.

O Domina mea M A R I A misericordissima, quos fontes erupuisse dicam de pudicissimis oculistuis, cum attenderes filium tuum unicum, innocentem coram te ligari, flagellari, mactari? quos fletus credam profudisse piissimum tuum vultum, cum suspiceres eundem filium tuum & Dominum tuum in cruce sine culpa extendi, & carnem de carne tua ab impiis & sceleratissimis crudeliter disseccari? quibus singultibus æstimabo purissimum cor tuum, pectus tuum vexatum esse, dum susciperes de cruce I E S U M vulneratum transfixum in sinum suum?

O be-

pro Feria VI.

O benignissime, ô suauissime, ô
serenissime I E S V, quando restau-
rabis, quia non vidi illam beatæ
tuæ carnis interruptionem, quia
non fui deosculatus loca vulnerū
& fixurā clauorum tuorum, quia
non respersi lachrymis gaudii ci-
catrices corpori veri.

O incomparabilis & admirabilis
I E S V, amando me consolaberis &
compesceberis me a dolore meo
quam diu peregrinus ero a Domi-
no meo.

Heu mi Domine, recessisti conso-
lator animæ meæ, nec valedixisti.
Defecit gaudium cordis mei, ver-
sus est in luctum risus meus, defe-
cit caro mea & cor meum: te volo,
te desidero, in te spero, quæsiui
vultum tuum Domine, requiram
ne auertas faciem tuam.

Ignosce Domine, ignosce pie,
ignosce & miserere mihi Domine:

parce

Meditationes

parce ignorantiaē meā, & multā
imperfectiōni meā, noli me tan-
quam temerarium reprobare: mi-
serere omnium peccatorum meo-
rum, quæ hæcenus perpetravi of-
fendens diuinam bonitatem & mi-
sericordiam tantisper tuam, & e-
go laudabo te, & benedicam per
totam vitam meam Domine DEVS
DEVS meus.

Sancte DEVS, sancte fortis, san-
cte & immortalis, Miserere nobis.

IESV redemptor, ô bone Pastor,
quomodo per mortis angustias
quæsiuisti me, quanto labore com-
paraſti me, quàm caro pretio re-
demisti me? & quid amplius pro
me facere debuisti aut potuisti, &
non fecisti?

Vere IESV amorosissime, dum te
brachiis expansis me vocantem,
& ad complexum in cruce inuitan-
tem conspicio: dum te mei amore

cruen-

cruentum, & toto rubicundū corpore cerno, dum te fitio dicentem, in fiti meæ salutis obdormisse, considero? hinc quidem ex compassione tanta pro me patientis ingemisco, meamq; non possum satis detestari duritiem, quòd ad tantum beneficium ingratus semper te offendens, & ad tantum durus & insensibilis lapide permaneo? illinc verò amplius continere me non possum, quantum libet ingratus, & peccator quin plorans super te, qui tanta pro nobis pati dignatus es, ruam peramanter in amplexus & oscula, fortiterq; peccatori meo te astringam, & inter vbera animæ meæ, tanquam fasciculū myrrhæ, dilectissimum te collocem.

Verè cognosco Domine, quòd sicut non est dolor, sicut dolor tuus; sic & amor non est sicut amor tuus: at verò nec volo, nec possū

Meditationes

fugere à te, neque abscondere me à calore tuo, quoniam vndiq; inflammat & circumdat amor tuus, & quæcunq; in te cerno, signa & vulnera omnia mihi spirant & prædicant amorem tuum. Sedeam ergo paulisper, Iesu Christe mi crucifixe, sub hac salutiferæ tuæ crucis umbra, vt à nociuæ carnis illecebris, & inquietis mundi tumultibus suaviter respirans, delectabili semper huius arboris fructu, quò ad vsque vocatus ad te venero, memetipsum confortem: & amor ille suavis, qui te magis quàm clavi in cruce affixit, mea pertranseat viscera, meumq; sic occupet cor totum & desiderium, vt de cætero nihil me afficiat, nihil mihi sapiat, nisi tu amor meus Iesu crucifixe.

Expande Domine Iesu brachia clemētia tuæ ab hac cruce, vt me tibi habeas, & constringas; quoni-

am

pro Feria VI.

am inter ea viuere volo, deinceps
& mori desidero. Aperi mihi tam
dulciter trans lanceatum cor tuū,
& introduce me in præiosa & aper-
ta vulnera tua, vt in eis ab hoste
securus deliteam, & in æternū ab
eis nemo me separet. Christe Iesu
qui quos redemisti ab hac cruce
continuò vocas ad te; non me de-
digneris peccatorem & miserum,
qui cū siti & desiderio lachryma-
bundus accurro ad te: suscipe me
confugientem ad te, & toto corde
te desiderantē; laua me bone Iesu
super niuem in tuo sanguine, vt nō
appareat antiquæ turpitudinis vlla
amplius in me macula, & non sit in
me Saluator amabilis pretium il-
lud tui sanguinis, tantilli valoris,
vt me quis deinceps siue caro, si-
ue mundus siue malignus lucretur
tibi rapiatque.

O IESV crucifixe, fac vt veterem

Meditationes

omnino exutus hominem, tui sanguinis rore cōpersus reuirescam plene & refloream in te, vt à te vita fecundatus virtutum omnium fructus virentes producam & viuam; iam non ego, sed tu viuas in me Christe. Stillet abundanter Iesu dulcissime super me sanguis tuus, & inundet ac inebriet me; totus sim tecum cruci confixus, & mundo mortuus, dolores tui penetrent intima mea. Mors tua sit vita mea, in tua cruce sit omnis gloriatio mea, & in vulneribus tuis requies & consolatio mea.

O Iesu amorosissime, qui totus doloribus cūsumptus & sanguine rubricatus, dolorose pro me sic pendes in cruce; Eia agnosce me vnā ex ouiculis tuis, quæ aberrauit, reuertentem & suspirantē ad te conuertere misericorditer ad me & fructū mihi tuę passionis & mortis cle-

menter

pro Feria VI.

menter applica, vt non sit in vanū tantus & tam præciosus sanguis effusus, neque sim ingratus tanto super me effluxo amoris. Asperge me totū hoc sanguine, viuifica me hoc salutari rore, meque totum tuis in vulneribus include, & refice, vt perfectam inibi sanitatem consequatur anima mea, nullumque præter te amatorem admittā, nullam consolationem requiram.

O Iesu dulcis amor tibi soli cor meum libentissime resero, & offero. Accipe tibi cor meum, & admitte me in secretum transixi cordis tui habitaculum, vt in te sæliciter obdormiam & quiescam, & satiatur ad plenum in te spiritus meus; & tu in me, & ego in te habitē ac permanē in æternum. IESU dulcis amor exaudi me. IESU dulcis amor miserere mihi peccatori, Am.
Deinde dic Pater noster, & Ave Mar.

DIE SABBATHI.

EXERCITIVM DE IUDICIO bonorum.

Oratio Preparatoria.

1. Præludium erit, fingere me esse velut pauperculum illum Lazarum, vlceribus quidem peccatorum plenum, sed Dei misericordia purgatum, in numero saluandorum computatum: potest & fieri, fingendo se esse illum, qui descendit de Hierosolymis in Iericho, & a latronibus spoliatum, a Samaritano curatum & saluatum.

2. Præludium erit, petere gratiam intime penetrandi gaudium illud, quod erit iustis in die iudicii.

Primum punctum.

Considerare quam dulcis erit, quamque plena lætitiæ separantia illa iustorum ab iniustis, cum vi-

delicet

pro Sabbatho.

delicet illi splendidi, & honoratissimi in aera rapiuntur, & inter Sanctos & filios Dei computabuntur: isti autem in terra inter Dæmones eos cruciantes relinquentur.

Secundum.

Audire vocem illam iudicis amantissimi: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum. & perpende singula verba, quamque dulce sit ire ad fontem vitæ, & qui ab eo erit benedictus, à quo poterit maledictus pronunciari.

Considera etiam, quòd sicut Iacob non nisi ementito habitu obtinuit benedictionem, nempe fratris sui Esau; ita nec nos illam æterni Patris benedictionem consequemur, nisi induiti vestibus ac meritis Christi Domini nostri.

Cogita, cum quanto gaudio & exultatione audient boni illud: Euge, serue bone & fidelis, quia in

pauca

Meditationes

pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui. Sicut enim intrantes mare aqua carere non possunt; ita nec beati lætitia.

Tertium.

Perpende, quantopere mirabuntur iusti, sentientes se, & sua bona opera mille licet imperfectionibus admixta, ab illo sapientissimo Iudice laudari, dum dicet: Esuriui, scilicet perfectionem vestram, & dedistis mihi manducare, scilicet procurando illam. Nudus eram in vobis, & me sanctis virtutibus vestiui. Hospes eram, & in sanctissima Eucharistia me suscepistis. Infirmus eram in anima vestra, & me visitaſtis per bonam conscientia examinationem: & sic de reliquis. quomodo mirabuntur tunc quod ista leuia opera nostra, vt sunt breues orationes nostra, modicæ afflictiones, disciplina, cilicia,

patien-

pro Sabbatho.

patientiæ iniuriarum, parvæ elemosynæ, & alia sat exilia & abiecta, Deo accepta fuerint: vt id quod fecimus animæ nostræ & proximo nostro, minimum sibi factū reputet. Proinde multa talia opera dum tempus habemus, præstare studeamus. Adhibe similitudinem a felli mola trahentis aquam, clausis oculis ad irrigandum hortum, nec videlicet fructus ex labore suo productos, scilicet nos non videmus nunc merita operum nostrorum, sed tunc videbimus.

Quartum.

Considera, quanta erit gloria eorum, qui propter Christum hic reliquerunt diuitias, honores, voluptates, parentes, domos, agros, & omnia: quando cum ipso sedebunt alios iudicantes; quantum gaudium & laus erit eorum, qui quicquid in mundo diuitiarum ha-

Meditationes

bere potuerunt, totum ad Dei gloriam promouendam, inopesque subleuandos liberaliter expendunt. Illud Regis Salomonis vsurpantes: Tua sunt omnia Domine, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.

Cogita, quam ibi vellemus melius adhuc paupertatem veram retinuisse, proinde dum tempus est, studeamus illam hic adipisci. O quam tunc optaremus sibi validiores nos in Deum, eiusque seruos fuisse, proinde nunc tempus opportunum huius beneficentiæ exercendæ, quâ emere possumus.

Attende, quantum gaudiū omni admiratione plenum exultabit electis ex damnatione reproborum, quando quidem ibi omnia ipsorum peccata per confessionem expiata, tecta erunt; nec de illis iudicabuntur amplius, quia seipsos hic

diudi-

pro Sabbatho.

diudicarunt: opera autē bona & occultissima manifestarūt. Contra verò reprobōrū opera bona, vtpote mortua non videbuntur peccata autē totius mūdi patebūt. Quid tunc videre aliquos quondam iustiores & sanctiores habitos, ibi ob vnum peccatum mortale in fine commissum damnari; se autem licet tot peccatis admissis, quia in Domino mortui sunt saluari.

Ex his igitur magnum concipiam desiderium, per bona opera certam faciendi vocationem meā, nec in illis vnquam fatigari velle proponam.

Per Colloquium petam à Domino vt peccata fugere possim, & minima quæque. vtque multa opera bona semper abundant, vt sic tandem inter sanctos, Deiq; filios merear computari.

In fine Pater noster. & Aue Maria.

Meditationes

EXERCITIUM DE IUDICIO.

*Oratio preparatoria, qua petimus
à Domino gratiam.*

1. Præludium est, vallis Io-
zaphat, iuxta montem oliueti, ima-
ginaria constructio.

2. Est, petitio gratiæ ad cogno-
scendam supremi Iudicis senten-
tiam, vt hinc concipiam dolorem
& odium peccatorum, cum firmo
proposito illa amplius non admit-
tendi.

Primum punctum.

Iudicium est ineuitabilis senten-
tia à iustissimo Iudice Christo Iesu
legittime ferenda in malos omnes,
vt puniantur: & pro bonis vt præ-
miis afficiantur, iuxta singulorum
merita vel demerita.

Secundum.

Præcedent iudicium signa in
cœlis

pro Sabbatho.

cœlis, in elementis, & in hominibus
arescentibus præ timore & expe-
ctatione, eorumq; super ventura
erunt, & varia subindè sentienti-
bus, quò ad mores & doctrinam
Antichristo adueniente, qui omni
cura operaturus est, vt si fieri pos-
sit, in errorem inducantur suum e-
lecti. Succedit ignis conflagratio
inexpectata. Terribilis, nemini par-
cens; efficax, cuncta destruens: om-
nia enim, vt ait. S. Petrus, igne di-
soluenda sunt.

Tertium.

Resurgent homines omnes ex
omni orbis parte, in iussu & in vo-
ce Archangeli, & in tuba Dei, quã
S. Hieronimus siue manducaret,
siue biberet, audire sibi videbatur
sonantem horrendum illud: Surgi-
te mortui, venite ad iudicium. Se-
cundum, Congregabuntur omnes
boni atque mali in valle Iosaphat.

Meditationes

Tertium, Separabūtur mali de medio iustorum, Angelorum ministris. Quartum, Tantis horror ac timor sententiæ ferendæ inuadet iniustos, vt amaturi sint latebras, & dicturi montibus: Cadite super nos & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni.

Quartum.

Adueniet Christus Dominus cū potestate magna & maiestate, comitante illum Angelicorum agminum multitudine copiosa. 2. Apparebit signū filii hominis in cælo. 3. Plangent omnes tribus terræ, cū videbunt iudicem ipsum iratum, paratumque ad puniēda mala ab ipsis patrata.

Quintum.

I. Examīnabuntur minutissime peccata omnia mortalia, venialia, propria, aliena, manifesta, occulta, cogitationes, operationes, ver-

pro Sabbatho.

ba etiam otiosa. 2. Exigetur ratio beneficiorum, munerum, obitorū, & talentorum iuxta parabolam Christi Saluatoris, ita vt cui datum est plus, ab eodem plus exigatur. 3. Cumulabit ad accusationes Angeli propria conscientia, palam omnibus patens & Dæmones: Præsto enim aderit aduersarius Diabolus, inquit S. Augustinus, & recitabuntur verba professionis nostræ, & obiiciet nobis in faciē quicquid fecimus, qua die peccauimus, & quo loco, & quid boni tunc temporis facere debuimus. 4. Fiat cōputatio eorum, qui maiora asperē cum infidelibus & peccatoribus, qui magis processissent, si talia à Deo dona accepissent; iuxta illud Christi: Væ tibi Bethsaida, væ tibi Corozain, quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis olim, in cilicio & cinere

Meditationes

nerē pœnitentiā egissent. 5. Feretur sententia in reprobos: Ite maledicti in ignem æternum, &c. Et pro electis: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c.

Colloquium fiet iuxta affectum, terminabiturq; totum exercitium Oratione Dominica.

EXERCITIVM DE VERA
Contritione.

Oratio præparatoria solita.

1. Præludium erit, constituere me coram Christo crucifixo, & sanguinē pro meis peccatis vndeque profundente.

2. Petere gratiam quam possum non amplius formidine pœnæ, vel iacturæ quamuis magnæ: sed puro amore Christi Domini pro me in cruce mactati, peccata mea deflere.

Primum punctum.

Vt oculos attolam ad Dominū

pro Sabbatho.

IESVM crucifixum, perpendens
quantū illius infinitæ bonitati pec-
catum quoduis displiceat, & quid
fecerit, & quanta passus sit, vt ab il-
lo nos liberaret, vtq; nos ad obse-
quium suum, & ad obseruationem
omnium mandatorū alliceret, pro
quo sanguinem profundere non
est dedignatus.

Secundum.

Vt oculos mentis iam in me ipsū
conuertam, contemplans quan-
tum debeam creatori, redemptori,
conseruatori, enutritori, atq; ama-
tori meo nobilissimo & suauissimo,
pro tot tantisque collatis in me be-
neficiis ac donis. Iam verō quid e-
gerim ego, quomodo debito meo
huic satisfecerim? Vnde propo-
sita mihi ob oculos enormitate ac
ingratitude peccatorum meorū,
quæ iam enumerata habere debeo
vt confitear de mea malitia, præ-

Meditationes

teruitate ac pertinacia, dolebo ad eius sanctissimos pedes, quòd tantum Patrem, talemq; Redemptorem, conseruatorem, benefactorē, patientissimum enutritorem, offendere ausus sim. Ibi pungam me spinis illis sanctissimis augustissimis, illis clavis me confodiam, lancea illa me vulnerabo, & certē si sanguinē fundere non valeo, lachrymas saltem meas dolorosas pro peccatis meis effrænatis, quibus Dominum meum offendi, prætioso sanguini illius commiscebo.

Tertium.

Attolere ad Christum oculos, considerando ipsum vt mediatorē & satisfactorem pro peccatis meis, Deum meum verum, & misericordiarum abyssum, ac ipsū præcabor obnixē, vt intuitu ac intercessione suæ Matris sanctissimæ, & omnium Sanctorū, peccatis igno-

scat,

scat, maculas tergat, pœnas remittat, damna restauret, quæ mihi & proximis meis intuli, & denique in me omnes prauas afflictiones componat, ad quod & me pro virili cooperaturum constituam.

Dicitur Pater noster. & Aue Maria.

MEDITATIO DE MORTE
iustorum.

1. Præludium erit, imaginari sibi te esse ante lectum alicuius viri sancti, animam exhalantis, & audire verba amorosa humilitatis, simul & confidentiæ plena, astantibus beata vita.

2. Præludium erit, petere gratiam qua possim affectare, & imitari Sanctorum mortem.

Primum Punctum.

Considerare, quod mors ut malis est initium dolorum, & omnium malorum: ita bonis est finis omnium

Meditationes

ærumnarum, miseriarum, laborū, dolorum; mors enim iustorū liberat iustum à timore excidendi, à gratia Dei per peccatum aliquid mortale vel occultum. Intelligit enim quòd alios oculos habebunt homines, alios Deus, qui omnia videt: sentit vim prurientis carnis, animaduertit mundi illecebras, & diaboli fraudes; & quamuis illum non expugnat conscientia sceleris alicuius, tamē est pavidus, ne quid lateat in anima sua, ne intellectum mutet malitia; sic difficultatibus anxius cupit dissolui, & esse cum Christo.

Secundum Punctum.

Considera, quòd iusto vt viuere Christus erat, ita vt mori lucrū: transit enim à labore ad requiem, à paupertate ad regnum, ab esurie ad satietatem, à luctu ad gaudia, à morte ad vitam. Mors enim electis

non

non est mors, sed somnus suavis: non pœna, sed exitus à carne, finis exilii, laborū consumatio, ad portum applicatio, molestissimæ peregrinationis exitus, grauissimi oneris depositio, de domo ærumnosa liberatus, redditus ad patriam, ingressus ad vitam. Ex quibus cōcipias magnū desiderium, vt Sanctorum imitaris mortē: sed intelligas te mortem imitari eorum non posse, nisi prius imiteris vitam.

Tertium Punctum.

Considera, quàm facilis sit iusto passus illi, qui est celeris, difficilis, & periculosissimus; non enim est illi difficile relinquere mundum, qui iam dudum relictis omnibus secutus est Christum: non eum affligant diuitiæ, quos posterioribus abiecit: non delitiæ, quibus se iam dudum sponte priuauit: non honores, quos contempsit, vt ad ve-

Meditationes

ros perueniret honores: non parētes, non cognati, qui fædere beatis cœlitibus copulatus est in cœlo: quippe Patrem Deum, fratrē Christum Iesum, Matrem beatissimam Mariam, & reliquos Sanctos amicos habet. Non illum excruciat conscientiaē metus, non illum concupiscentiaē torquent, quas crucifigere studuit, & in se edomitas fētit. Non terrent Dæmonum seruitia, qui Angelorum fruitur tutela. Hos enim habet in agone consolatores, quos habuit in luctu defensores, & illo itinere beatissimos duces. Vide hic, quàm speciosa in conspectu Domini mors Sanctorum; stude iustus esse, bonis operibus abundare, religiosam vitam ducere & tenere, mores componere, passiones adornare, proximorum ædificationi ac saluti, quantum vales & pro obedientia licet

in-

pro Sabbatho.

incumbere, bonum intentationibus certamen certare, in omnibus Dominum Deum laudare, pie, caste, pudice: hinc omni quærella, & hinc omni scandalo, & cum ædificatione aliorum, & cum procuratione salutis proximorum caute vivere. Quod tibi concedat Dominus Deus, nunc & in omnibus horis, diebus, & momentis, & diebus vitæ tuæ. Amen.

MEDITATIO DE SACRO-
sancta Communione.

Consideranda sunt hæc: Quis, Unde, Quò, Cur, Ad quem.

Primum Punctum.

Quis venit?

Filius Dei, sapientia Patris, splendor & figura substantiæ eius, cui per omnia est æqualis omnipotens,

sapien-

Meditationes

sapientissimus, gloriosissimus, Rex regum, & Dominus dominātium; is qui creauit omnia, qui redemit homines, qui sedet ad dexteram Patris, qui iudicaturus est viuos & mortuos, in quem desiderant Angeli prospicere, quem adorant Dominationes, tremunt Potestates; in cuius nomine flectitur omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum. Hic est qui ad te venit.

Ex his timor quidam reuerentiæ magnæ coniunctus, concipiendus erit, simul & desiderium ingens tantum hospitem digne vt par est excipiendi.

Secundum, Vnde venit?

E sinu Patris æterni, è summa gloria, ex illa inaccessiblei luce quā inhabitat, ex splendoribus Sanctorum, è cœlesti throno, è voluptatis paradiso, è regalibus sedibus.

Hinc

pro Sabbatho.

Hinc in magna admiratione venias, prout tanta dignitate qua venire ad te dignatur.

Tertium, Quò venit?

In vallem lachrymarum, terram miseriarum, ciuitatem exilii, ad luteas domos, ad sordidum stabulum, ad deterrimum carcerem, vbi quondam tam dire tractatus fuit. obstupefce hinc, illi gratias non desistens agere.

Quartum, Cur venit?

Vt nos infensissimos suos hostes saluet, peccata remittat, faucios curet, ægros sanet, sordidatos abluat, desolatos consoletur, contra hostes tueatur, exurgentes reficiat, ab omnibus malis eripiat, & nostra deniq; consuetudine perfruat, quia deliciae eius esse cum filiis hominum.

Quintum, Ad quem venit?

Ad inimicum suum, ad hominē

Meditationes

catozem, ad mancipium diaboli, ad filium iræ, ad eum qui toties infernum promeruit, qui toties Dominum Deum benefactorem suum in semetipso crucifixit, & ostentui habuit.

Quis tantam charitatem non admirabitur?

Colloquium formabitur ex illis verbis: Domine, quis tu es, & qui sum ego. Et ex illis: Vnde hoc mihi, vt veniat Deus meus ad me? Et ex illis: Domine, non sum dignus, vt &c.

In fine dicitur Pater noster. & Ave Maria.

M O N I T A,
Quæ ad cultum Christianæ pietatis, ac etiam vitæ spiritualis praxim faciunt.

E R G A D E V M

Primum punctum.

FInis primarius omnium bonarum actionum debet esse Dei gloria, ad quam recte dirigenda sunt, vt simus Aaroni similes, qui inscriptum in aurea lamina Dei nomen in fronte præferebat. Proinde aliquod opus aggressuri, præmittere possumus piam Ecclesiæ orationunculam: Actiones nostras quæsumus Domine, &c.

Secundum.

Statim ac à lecto surgimus, primitias cogitationum nostrarum offeramus Deo. Vnde omnium a-

Monita

ctionum totius diei bonum regimē
consequitur. Dæmon enim hoc
sciens, valde est sollicitus, vt ipse
cor præueniat, & ingerat turpes
cogitationes: & ob hoc ipsum ali-
qui dæmones vocantur Præcur-
sores. Quare dum euigilamus, quā-
primum nos Crucis signo munia-
mus, & cum summa reuerentia ad
SS. Trinitatem nos conuertamus,
offeramusq; nos ipsos, & omnes il-
lius diei actiones ad Dei gloriam.

Tertium.

Quotidie ac sæpius iterandum
est propositum, præsertim verò in
Oratione matutina, abstinendi se
ab omni peccato, iuxta illum Psal-
mum 100. In matutino interficie-
bam omnes peccatores terræ. O-
randus Deus, vt cor nostrum ita
dirigat & confirmet, vt dicere pos-
sit quisque: Malo mori, quàm fæ-
dari. Et tum deinde: Iuravi & sta-

tui

Christiana pietatis.

tui custodire iudicia iustitiæ tuæ.
Et cùm te aliqua interdium tentati-
one pulsari sentis, vel aliqua pec-
cati occasio sese offert, confugas
statim ad implorandam Dei opem,
cum magna in eum fiducia.

Quartum.

Quæ occasiones peccatorum
summo studio euitandæ sunt, quæ
ex his peccata nascuntur, eiusmo-
di sunt: otium, consuetudo malo-
rum hominum, sensuum, & lin-
guæ licentia, lectio librorum impu-
dicorum, ludorum & chorearum
usus.

Quintum.

Vnusquisq; agnoscat ad quod
vitium se propensiolem sentiat,
sciatque verum esse S. Leonis Ser:
7. in Natiuitate Domini, cùm ait:
Antiquus hostis omnium discutit
consuetudines, ventilat curas,
scrutatur affectus; & ibi causas
quærit nocendi, vbi quemq; vide-

Monita

rit studiosius occupari. Examen ergo conscientiae ad hanc noticiam comparandam frequentandum.

Sextum.

Examen conscientiae in fine diei quotidie adhibendum est, vt voci Dauidis Psalmi 4. obediamus: Quae dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Proinde practice explicanda essent quinque capita, quibus hoc examen constat. Examinis idcirco particularis vsus ad aliquod peculiare vitium expugnandum, vel virtutem assequendam ad sui emendationem & progressum valde conducit. Cuius praxis est, vt mane quisque decernat, cui vitio peculiariter sibi obsistendum sit, vel cui virtuti studendum. Meridie verò, rursusque vesperi despiciat secum, qua se ratione gesserit, vt doleat, rursusq; proponat.

Christiane pietatis.

Septimum.

Confessio generalis totius vitæ
iis qui nunquam eam fecerunt,
multa & eximia solet emolumentum
afferre, & ab hac esset initium
sumendum ei, qui vitam nouam
serio auspicari cogitat, & aliquam
animæ securitatem exoptat.

Octauum.

Confessio sacramentalis saltem
15 die, vel singulis mensibus, & in
præcipuis Ecclesiæ festiuitatibus
esset frequentanda, tum quia ad-
uersus præterita peccata præstan-
tissimum remedium: tum quia ad-
uersus futura efficaci antidoto cõ-
munit hominem.

Nonum.

Necessarium proinde est, vt
quisque quo ad Confessionem
habeat certum Ducem & Magi-
strum prudentem, rerumque spi-
ritualium peritum, quem consu-

lat

Monita

lat in rebus ad suam conscientiam pertinentibus, à quo instruatur: cui tanquam Patri conscientiam suam sincere manifestet: quem nō oportebit nisi vrgeat necessitas facile mutare.

Decimum.

Longe utilissimum est post perfectam Confessionem sacerdotalē frequenter accedere ad Sacratissimam Eucharistię sumptionem; hoc enim cibo aluntur & confortantur viuentes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, viuet propter me: & hoc tanquam antidoto liberamur à culpis, & à peccatis mortalibus præseruamur.

Vndecimum.

Ad Orationis studium necesse est, vt omnes afficiamur. cum Christus docet: Oportet, vt semper oremus. & omnes Sancti in hac virtute fuerunt singulares: in hac au-

tem

tem oratione hæc esset obseruan-
da ratio. Primum, vt certis tempo-
ribus, mane præsertim ac vespere
liberi ab aliis negotiis, tam sancto
otio, quod S. Bernardus, omnium
negotiorum summum negotium
vocat, operam demus. Secundū,
vt etiam inter alia negotia mentem
nostram ad Deum conuertamus,
per vsum earum orationum, quas
Iaculatorias vocamus, Deum lau-
dantes, ei gratiam agentes, opem
diuinam implorantes, & Deum præ-
oculis habentes, iuxta illud: Am-
bula coram me, & esto perfectus.
Qualis est ille versiculus ex Psalm:
69. Deus in adiutorium meum in-
tende, Domine ad adiuuandum
me festina. quem apud Cassianum
Coll: 10. cap: 9. miris modis celebrat
Abbas Isaac: Habet, inquit, ad-
uersus vniuersa discrimina inuo-
cationem Dei, habet humilitatem

Monita

piæ confessionis, habet sollicitudinis ac timoris perpetui vigilantiam.

Duodecimum.

In oratione vocali seruanda est reuerentia, attentio, & deuotio, ne videamus Deum illudere.

Tredecimum.

Orationi, quæ mente tantum sine voce perficitur, & est nobilissima, assuescendum est: nec putare debemus eam exigere multam doctrinam ac ingenium magnum, sed egregium Dei amorem, vt aliquando F. Ægidius à S. Bonauentura edoctus, dicebat rudi rustico ac cuilibet mulierculæ: Ama Deum, eris plusquam Bonauentura.

Quatuordecimum.

Quotidie curandum est, vt sacrificio Missæ intersis dum potes, perinde ac Christo in Caluaria, & in cruce morienti astares, ob innumeras vtilitates, quæ ex hoc opere

manant.

Christiane pietatis.

manant: cum sit hoc sacrificium propitiatorium, satisfactorium, impetratorium, quod præseruat à culpis, etiam ad temporalia bona confert. S. Franciscus, teste D. Bonaventura, cum adesset Missæ sacrificio, ita lachrymas fundebat, ac si tunc Christum in cruce pendentem intueretur, adeò vt & alios ad fletum prouocaret.

Quintumdecimum.

Communionem spirituale quo- tidie in Missa exercere potes, quæ sine sacramentali communionem prodest, & sine hac sacramentalis non prodest. Fit autem hæc communio si Christo vniamur, & de bonis eius ac meritis participemus, quod fit maxime per actus amoris, per quandam famem spirituales & peculiarem deuotionem ad sacratissimum Christi corpus, ac si tunc esset sumendum; optando

Monita

eius vnionem etiam sacramentalem, vt faceret gulofus quispiam & famelicus opiparæ mensæ affistens, vbi eius appetitum cibi deliciares excitant.

Sedecimum.

Peculiari affectu seruanda est Dominicæ Passionis & mortis memoria, vt simus de numero eorum de quibus in Apocalypsi dicitur: Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauarunt stolas suas in sanguine agni; & Diuum Bernardum imitantes, cum eo dicamus: Fasciculus myrrhæ dilectus meus, inter vbera mea commorabitur. & cum sancto Francisco, & sancto Paulo: Ego stigmata Domini mei in corpore meo porto. Optabat aliquando sancti Edmundus puer adhuc existens, vt Deus aliquid significaret sibi quod ad ipsam gloriam maxime cede-

ret:

Christiane pietatis.

ret: datum responsum est à Christo, vt quotidie aliquid ex misteris vitæ ac passionis suæ recoleret.

Septimumdecimum.

Cultu maximo Dei gentricem Mariã venerari, & peculiari quadam reuerentia & affectu, erga eiusdem immaculatissimam Virginitatem fieri debemus.

Octauumdecimum.

Angelo tuo custodi in omni loco, in omni diuersorio reuerentiam exhibe. Quare saltem cum ad cubile accedis, animam semper ei & corpus tanquam fidelissimo custodi committe, contra Dæmonū nocturnas illusiones sancti Michaeli Angelorum Principi, ac totius Ecclesiæ sanctæ Patrono & protectori peculiari honor exhibendus: qui in die iudicii sanctissimæ crucis vexillum præferet, vt Ecclesia ca-

Monita

nit, eum Principem constitutum
super omnes animas suscipiendas.

Nonumdecimum.

In festiuitatibus Sanctorum di-
ligenter nos Sanctis illis commen-
demus; ac proinde pium est etiam
aliquos ex eis Patronos nobis assci-
sci, prout cuique peculiaris deuotio
suggerit, eosque non verbis
solum, sed magno cordis affectu
diligere, ad eorumque confugere
patrocinium.

Vigesimum.

Optima est piorum quorundam
consuetudo, qui die vltima mensis
tot nomina Sanctorum ex catha-
logo illius noui mensis conscribunt,
& sortio fit inter omnes qui in fa-
milia sunt, vt habeant singuli sin-
gulos Sanctos in eo mense Patro-
nos, quibus orationes & pia opera
offerant, eiusque vitam & mores
legant & imitentur.

Vige-

Christiana pietatis.

Vigesimum primum.

Litaniae Sanctorum quotidie recitare, est satis laudabilis mos, praesertim quod in eis contineatur sanctissimae Trinitatis inuocatio, & omnium Sanctorum & Angelorum intercessio, obsecratio per Christi merita & mysteria, & omnia fere petantur à Deo quibus indigemus.

Vigesimum secundum.

Aquae benedictae usum in Ecclesia antiquissimum frequentem usum habeant, & cum se illa conspergunt, actum aliquem doloris peccatorum animo eliciant, ut a peccatis venialibus expurgantur, domi habeant in cubilibus in eundem finem, & contra Dæmonum illusiones.

Vigesimum tertium.

Sicut sacrarum imaginum cultus deuotè est exercendus, ita ut

ad ca-

Monita

ad earum aspectum recurrat mens
& prototypon: ita imagines pro-
phanæ ac lasciuæ, vel quæ conti-
neant aliquot vanitatis, ex Christi-
anorum ædibus exturbandæ sunt.

Vigesimumquartum.

In templis Deodicatis, non so-
lum interior, sed exterior reueren-
tia, maximè cum orant, & sacri-
ficio Missæ assistunt, vtrumque ge-
nuflectant, cum ante Altare sacra-
tissimi Sacramenti transeunt, &
corde adorent; cum imagines san-
ctissimæ occurrunt, caput inclinent
& aperiant, seque ei Sancto cuius
est imago commendent. Ad Offi-
cia diuina & Horas vesperti-
nas non fabulentur, sed De-
um laudent.

ERGA PROXIMOS.

Primum punctum.

Superioribus Ecclesiasticis scito
tetra debere; amorem, hono-
rem, obedientiam. De quo S. Pau-
lus ad Rom: Omnis anima potesta-
tibus sublimioribus subdita sit; nō
est enim potestas nisi à Deo. & E-
xodi 22. Diis non detrahes, (hoc e-
nim spiritualibus) & principi po-
puli non maledices. Præcipuæ itaq;
Sacerdotes Dei reuereberis & dili-
ges, quantumuis aliquando repre-
hensibiles inueniantur: Sic enim
de iis Deus Psalmo 104. Nolite tan-
gere Christos meos, & in Prophe-
tis seruis meis nolite malignari.

Vnde etiam quomodo apta vi-
tia Sacerdotum sæculares occul-
tare debeant, docet gloriosus Im-
perator Constantinus: Verè, inquit
si propriis oculis viderem sacerdo-

Monitta

tem Dei aut aliquem eorum, qui monachico habitu circumamicti sunt peccantem, meam chlamydē explicarem & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur. Et quidem satis iuste; qui enim aliter facit quantum in eo est, Deum inhonorat, & maledictionem Cham filii Noe, qui patrem suum derisit, sortitur.

Secundum.

Curandum omnino est, vt decimæ & pensiones ac cætera debita fideliter ecclesiis solvantur. Audiendus est S. Hieronymus in cap. 3. Malach. Si quando fames, & penuria, & rerum omnium egestas opprimit mundum; sciamus hoc ex ira Dei descendere: quia fradatur in decimis & primitiis. Item & S. Augustinus serm: 119. de tempore. Decimæ tributę sunt egentium animarum: quod si decimas dederis non solum abundantiam fructuū

Christiane pietatis.

recipies; sed etiam sanitatem corporis & animæ consequeris. Si tardius dare decimas peccatum est, quantò magis peius est peccatum non dedisse? Hæc est Dei iustissima consuetudo, vt si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam reuocaris. Dabis impio militi, quod nõ vis dare Sacerdoti. Benefacere Deus semper paratus est, sed hominum malitia semper prohibetur. Decimæ enim ex debito requiruntur & qui eas dare noluerint, res alienas inuadunt. Hæc August.

Tertium.

Propter amicos nihil contra honestum & conscientiam faciendū. Nam & ipse Cicero, quãuis Ethnicus, sic ait de amicitia: Hæc est, inquit, prima lex amicitia, vt ab amicis honesta petamus, eorūq; gratia non nisi honesta faciamus, & optima est quæ vulgò fertur sententia:

Monita

Amicus Plato, amicus Socrates;
sed magis amica veritas.

Quartum.

Ira non diu foueatur animo: optima est S. Pauli admonitio ad Ephe. 4. Sol non occidat super iram vestram. Discipulus etiam Pythagoræ hunc morem seruabat, teste Plutarcho, vt vespere datis dexteris, & mutua salutatione, animos conciliarent, si quid interdium irarum subortum esset. Et inter antiquos Christianos vsus fuit, vt congregandi ad orandum se mutuò per osculum pacis vnirent.

Quintum.

Cum orationem Dominicam recitamus, curandum est, vt omnem ab aliquo receptam iniuriam, toto corde remittamus, vt illud syncere verèque dicamus: Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus. Effet enim planè impudens temeritas

ita

Christiana pietatis.

ita Deum alloqui, si tu interim odium rancoremq; in pectore foueas. Nam vel mentiris coram Deo, affirmando quòd non facis, vel Deum doces, vt ita se tecum gerat, quomodo & tu cum fratre; quòd perinde est ac si petas vt tibi non dimittat.

Sextum.

Tecum statue pro tuarum opum ac negotiorum ratione, vt nullus elabatur dies, in quo non aliquod opus misericordiæ in proximos exequaris. Et habeto illud in corde: Nulla dies sine linea. Titus Imperator cum animaduertisset se quodam die nihil gratiarum in aliquem contulisse, dixit: Perdidimus hunc diem, o amici. Sed optimus Salomon in Prouerb. 1. Misericordia & veritas non te deserant, circumda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam, &

Monita

disciplinam bonam coram Deo, & hominibus. Quantitas porrò & mensura eleemosinarū ea esse debet, quā filium suum Tobias senior docuit: Quomodo, inquit, potueris esto misericors: simul cum tibi fuerit abundanter tribue, si parum, etiam libenter illud impertiri stude; charitas ergo Christi, & virtus misericordiæ in tuo corde resideant, & earum iudicio stabis, non cupiditatis arbitrio.

Septimum.

Mercenario statim reddes suam mercedem. Acriter enim Deus in scripturis eos indignatur, qui mercenario non statim reddunt, sed prolongant mercedem in Leuitici cap. 19. dicitur, vt merces non differatur in diem crastinum, in cap. 24. Deut. Vt reddatur ante solis occasum.

Octauum.

Christiane pietatis.

Valdè pium opus est Deoq; gratissimum & valde efficax ad spiritus boni augmentum, visitare Xenodochia, lectos sternere, cibos ministrare, consolari decumbentes, ad Sacramenta hortari; itemq; carceribus detentos inuisere, eisq; opem ferre: certe Christus in iudicio dicturus est; Infirmus eram, in carcere eram, & visitaistis me.

Nonum.

Charitas Christiana ad animas igne purgatorio detenta se se extendit. I. Machab. 12. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt a peccatis soluantur. Soluuntur autem modis (vt docet Gregor.) aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut charorum elemosinis, aut pœnitentiis cognatorum.

Decimum.

Reuocare aliquem à peccato,

&

Monita

& à malo vitæ statu, opus est (vt ait Dionisi: Areop.) omnium diuinorum diuiniſſimum. Quare quia vnicuiq; mandauit Deus de proſpectu ſuo; curandum eſt vnicuiq;, vt aliquando aliquem à peccato ad Deum reuocemus.

Vndecimum.

Laudant pleriq; ſpiritualium rerum Magiſtri, vt habeamus aliquem prudentem ac fidelem amicum, qui nobis ſit loco admonitionis, à quo moneamur vbi opus ſit, & idem ipſi alteri faciamus, vt prouerbium ſeruetur: Manus manum lauat: quia plura vident oculi, quam oculus.

Duodecimum.

Nulli detrahes, nec iudicium temerarium de alicuius factis dicas. Ne tibi obiiciatur illud: Tu quis es qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit. Eſt planè

hic

Christiana pietatis.

hic casus reseruatus Deo, sicut est vindicta, quia ipse dicit: Mihi vindictam, & ego retribuam. Itaque cum sentis te aliqua tentatione in his pulsari, responde: Est casus Deo reseruatus, absit, vt diuinam vsurpem iurisdictionem.

Tredccimum.

Tribus generibus personarum non facile credas. 1. Alienæ famæ detrahentibus, cum hoc vitium ex infecto & male affecto corde profiscatur, quod S. Chrysostrmus vocat barathrū sathanicum hos & antropophagos: Detrahens, inquit, fraternas carnes comedit, proximi carnem mordet. Et sanctus Bernardus linguam detractoris docet esse viperam, quæ tres simul suo flatu inficiat: seipsum, eum cui detrahit, & ipsum quoque qui audit. 2. Non credas facile his qui semetipsos iactant, cum id ex

Monita

fui amore corrupto nascatur, qui tenebras nocti effundit. 3. His qui coram te tuas proprias laudes prædicant: potes enim suspicari te non esse ab eo plenè cognitum, & esse hanc quandam honestam adulationem.

Quartumdecimum.

Cùm literas ad amicos mittis, cauendum est seriò, ne ea scribantur à te, quæ in cuius infamiam cedant, etiam si vera essent. Et peccatum infamiæ non potest remitti, nisi ei qui læsus est fiat satis, & restituatur illi fama.

Quintumdecimum.

Accipe libenter ab admonitore vel quopiam amico & superiori correctionem: qui enim respuit illam, pessimè audit in diuinis literis Eccles: 21. Qui odit correctionem, vestigium est peccatoris secundū lyram & rabanum Diaboli, vt sit

sensus

Christiana pietatis.

fensus iudicium præbet ei Diabolum dominari, vel esse obstinatum vt est Dæmon.

Sedecimum.

Famulos ad tua domestica obsequia non admittas, nisi sint bonæ famæ, & integræ vitæ, cum rectissimum sit multum damni totam familiam pati ex improbis famulis posse. Perinde est enim ac hominem peste infectum in sui suorumq; contubernium aggregare. Exemplum ex Dauide sumamus, qui ait: Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeāt mecum, ambulans in via immaculata hic mihi ministrabāt.

Septimumdecimum.

Quilibet Paterfamilias fidelis ac timens Deum, sollicitè ad hoc niti debet, vt familiam suam laudabiliter regat, pro qua Deo supremo Iudici responsurus est, & rationē redditurus. Anima enim eius re-

Monita

quiretur de manibus ipsius. Vnde S. Apostolus I. Timoth. 5. *Qui suorum ac domesticorum maxime curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior: si autem bonam familiam habere voluit, Patrisfamilias exemplo placeant ipsi, ac proinde seipsum primum instituant, ne sint reprehensibiles, fidem illibatam uxori seruantes, sobrii, casti, prudentes, pudici, modesti, non vinolenti, non percussores, non litigiosi, non cupidi, non bilingues, non inhonesta nec maledica verba loquentes.*

Octauumdecimum.

Timendum est ne plerique parentes post mortem à Deo grauitè sint puniendi, ob iniuriam qua in filiorum educatione vsi sunt, qui malo parentum exemplo, & educatione peruersa, in pessimos viros euaserunt. Optima iuuenum

Christiana pietatis.

occupatio sint literarum studia, quibus vt filii nauent operam, parentes maximè studeant; nec sumptos in hoc sumptus vocent, sed lucra. Præcaueant ne pueri turpes cantiones & saltationes addiscant aut recitent.

ERGA SE IPSVM.

Primum punctum.

Optimum est præceptum illud: Attende tibi quod D. Basilius magnificè explicat, estque contra eos de quibus in Actis dicitur, ad nihil aliud vacant nisi audire aliquid noui aut dicere.

Secundum.

Electionem status tui non tamen aut festiue, nec ex animi passione institue: sed mature omnia consideranda, & ad Deum fundere assidue preces. Tum quia est maximum omnium deliberationū

Monita

cum sit de tota vita: tum quia cum Deus habeat omnium prouidentiam, & futura omnium praeuideat, & ad eum confugere necesse est, ac dicere illud Psalm: 142. Doce me voluntatem tuam facere, quia Deus meus est tu. Nostrum erit offerre cor Deo tanquam Alphabetum, quod nihil determinate dicit, & virtualiter omnia dicit, hoc est animum penitus indifferentem.

Tertium.

Oculorum & aurium custodiam magnam habe. Eccl: 9. Auerte faciem tuam a muliere compta, propter speciem mulieris multi reprobri facti sunt. Propterea consilium est eiusdem Sapientis: Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire. Multis se molestus eximit, qui a curiosis & vanis colloquiis animum auocat, ut possit Deum in se loquentem audire.

Quar

Christiane pietatis.

Quartum.

Iurationi, ait Sapiens Eccle: 23. non assuescat os tuum; multi enim sunt casus in ea. Sanctus Chrysofostomus in suis Concionibus maxime vrget, vt populum aiurandi consuetudine abstrahat. Sunt autem tres iuramenti conditiones, necessitas, reuerentia, & veritas.

Quintum.

In quantitate cibi & potus ea mensura adhibenda est, quæ decet Christianum. Vinum immoderate sumptum plurimum obest, & Christianæ virtuti, & corporis saluti, quia vt dicitur Prouerb: 23. Ingitur blandè, posthæc mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet. & sanctus Paulus ebrios pronunciat exclusos à regno cœlorum.

Sextum.

In prandio ac cœna præcedat

oratio,

Monita

cùm sit de tota vita: tum quia cùm Deus habeat omnium prouidentiam, & futura omnium præuideat, & ad eum confugere necesse est, ac dicere illud Psalm: 142. Doce me voluntatem tuam facere, quia Deus meus es tu. Nostrum erit offerre cor Deo tanquam Alphabetum, quod nihil determinate dicit, & virtualiter omnia dicit, hoc est animum penitus indifferentem.

Tertium.

Oculorum & aurium custodiam magnam habe. Eccl: 9. Auerte faciem tuam à muliere compta, propter speciem mulieris multi reprobi facti sunt. Propterea consilium est eiusdem Sapientis: Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire. Multis se molestis eximit, qui à curiosis & vanis colloquiis animum auocat, vt possit Deum in se loquentem audire.

Quar

Christiane pietatis.

Quartum.

Iurationi, ait Sapiens Eccle: 23. non assuescat os tuum; multi enim sunt casus in ea. Sanctus Chrysostomus in suis Concionibus maximè vrget, vt populum aiurandi consuetudine abstrahat. Sunt autem tres iuramenti conditiones, necessitas, reuerentia, & veritas.

Quintum.

In quantitate cibi & potus ea mensura adhibenda est, quæ decet Christianum. Vinum immoderate sumptum plurimum obest, & Christianæ virtuti, & corporis saluti, quia vt dicitur Proverb: 23. Ingreditur blandè, posthæc mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet. & sanctus Paulus ebriosos pronunciat exclusos à regno cœlorum.

Sextum.

In prandio ac cœna præcedat

oratio,

Monita

oratio, sequatur gratiarum actione bestiis similes videamur, & non agnoscamus panem à Deo nobis dari.

Septimum.

Laudabilis est consuetudo eorum, qui ex deuotione Passionis Dominicæ, vel Beatissimæ Virginis certum aliquem diem in hebdomada, vel ieiunio, vel abstinentiæ destinant ac dedicant, extra numerum ieiuniorum, quibus ex præcepto Ecclesiæ tenemur, quod non solum animæ ad meritum conducit, sed etiam sanitati corporum prodest.

Octauum.

Somnus sit moderatus. Turpissimum enim est magnam vitæ partem dormiendo transigere quasi mortuos. Certe secundum Medicos sex vel septem horarum spatium ferè est satis, fortè plus aliquid

pueris

Christiana pietatis.

pueris, aut ætate confectis concederent. S. Efrem: *Quieti & somno* tantum tempus impende, inquit, quantum cogit ipsa necessitas: quies enim diuturna corpus emollit, & libidinis ignem facile accendit.

Nonum.

Corpus nostrum non est delicate nutriendum, sed vt asinus. Sanctus Franciscus corpus suum vocare solebat fratrem asinum: forte etiam non male appellare posset astuta vulpis, quia simulat vt fallat. Præclara est Chilonis Philosophi sententia: Caue tibi ipsi, te ipsum, & à te ipso, tu tibi hostis.

Decimum.

Societas prauorum hominum fugienda. Docuit hoc Dauid Psalmo primo: Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. & Salomō initio lib: Prou: Si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.

Monita

Vndecimum.

Bonorum ac spiritualium conuersatio amanda est, Eccl:37. Cum viro sancto assiduus esto, quemcunque cognoueris obseruantem timorem Domini. Egregia est Basilii Imperatoris sententia ad Leonem filium cognomento Philosophum, in hæc verba: Vtere medicis animorum assidue, vt ipse animo valeas: ab eis enim discere poteris quas res expetere, & à quibus debeas abstinere.

Duodecimum.

Vsus ludorum fugiendus est, atque adeo ludentium consuetudo, vt dicere cum Tobia possis, capite 3. Nunquam cum ludentibus me miscui, neque his qui in leuitate ambulant participem me præbui. Neque tamen sint mores nostri morosi, aut nimium seueri erga alios, vt non liceat aliquem ho-

nesta

nesta oblectatione animum recreare.

Tredecimum.

Cogitationum malarum suggestiones in primo statim actu componendæ sunt, conuersa ad Deum mente ac pia meditatione, iuxta illud Cant: Capite nobis vulpeculas, quæ demoliuntur vineas: quod si redeant, non est quod animo discutieris; cum non in nostra potestate sit omnino prohibere. Sicut stultum esset contra muscas indignari, quæ pulsæ redeunt: sicut etiam stultum esset, si quis moleste ferret volucres aliquas nigras per aerem volitantes crocitare, melius est tranquillo eas animo expellere, sæpe etiam contemnere. Optimū est S. Hieronymi consilium: Semper, inquit, aliquid operis facito, vt te semper Diabolus inueniat occupatum.

Monita

Quartumdecimum.

Cùm in morbum incideris, obserua quod Medicus præcipitur in Canonibus, vt statim Confessionem instituas cum vera contritione, etiam si nullum extet mortis periculum. Melius est enim, vt Dei amor inuitet ad Sacramentum, quam mortis timor vrgeat. Vtile autem erit infirmo, maximè diuiti, si in initio morbi aliquas in pauperes, & pia loca distribuatur elemosynas, quæ apud Deum, vel ad salutem corporis restituendam vim habituræ sint, vel ad disponendum hominem, siue ad morbum patienter ferendum, siue ad felicem mortem subeundam, quando ita Deo placuerit.

Quintumdecimum.

Nemo debet expectare tempus morbi ad condendum testamentum,

Christiane pietatis.

tum, sed illud in sanitate commo-
diùs conditum seruare. Si quid ve-
rò vel immutandum vel addendū
erit, faciliùs fit. Cùm autem mor-
bus ingrauescit, curet apud se ha-
bere viros pios ac religiosos, qui
animæ curam cum charitate ac
zelo habeant, moneantque ea,
quæ in id tempus ad salutem æter-
nam necessaria sint, quibus te tunc
magis vacare oportet, quàm ter-
renarum rerum curis.

Sedecimum.

Retine memoriam mortis toto
vitæ tempore, cùm sit optimum
frenum ad totius vitæ cursum lau-
dabiliter moderandum. Habe sem-
per præ oculis illud: Memor esto,
quia mors non tardat. Et illud: Di-
spone domui tuæ, quia morieris, &
non viues. Valde vtile esset quoti-
die orare, vt Deus ita vitam dispo-

Monitta

nat nostram, vt bona mors eam
consequatur: posses aliquando O-
ratiunculam hanc repetere:

ORATIO.

Domine IESV Chryste, per tu-
am dulcissimam charitatem,
& amarissimam mortem con-
cede nobis bene viuere, &
sanctè mori in gratia tua

A M E N.


Adderem etiam, vt initio cuius-
cunq; mensis cùm primus dies fe-
stus occurrit, aliquod peculiare o-
pus in hunc eundē facias, eiusmo-
di esset aliquid eleemosynarum e-
largiri, egenum aliquem domum
suam ad prandium inuitare, san-
ctissimam communionem suscipe-
re, seipsum etiam examinare, an
& quantum sit paratus, si Deuse-
um ad se eo mense vocaret; &
quod-


Christiana pietatis.

quodnam vellet tunc fecisse, cum
hora mortis aderit. Hæc enim Me-
ditatio plurimum confert, & ad
bonam vitam, & ad felicem mor-
tem. Ideo Christus toties mo-
net: Estote semper para-
ti: Dies enim Domini
veniet sicut fur
in nocte.

L A V S D E O.

*Est oculis gratum speculari semper
amatum, scilicet Christum I E S U M
pro nobis passum, & Patri suo & no-
bis bene meritum.*





Konservację przeprowadził(a):

Grana Delinata

Wzrost: data 4 VIII 1991

